Duo casus.

1 Cajus pecuniam mutuo sibi datam fideliter solvit Titio mutuanti; is postea in judicio convenius, si aliæ probationes desint, juratus dicere potest se hunc mutui contractum non institutisse, intellige tali modo obligationis ut his solvere debeat; nisi interrogatio magis determinetur, nempe utrum ullo unquam modo mutuam pecuniam a Titio acceperis, tu autem respondeas nullo modo, aut ratione te accepisse; Mendacium erit, quia mente aliquid retices, quod exterius, nec explicite, nec implicite proditur ex circumstantiis.

2 Titius sub juramento interrogatur utrum veniat ex loco, qui falso existimatur peste infectus, jurare potest se inde non venire intelligendo ex loco, qualis existimatur. Quod autem multi addunt, & si locus infectus sit, si tamen celeriter transiens certo credat se peste infectum non esse, jurare eum posse se non transisse, id difficultatem habet: quia interrogatio absolute formari solet, utrum quis quomodocumque transierit, cum facile sit præsertim si aer sit infectus etiam non advertentem pestilentia in corpore, aut vestibus corripi: profecto in externo foro talis ut perjurus non immerito punietur, eritque etiam coram Deo.

TESTIS

2784 Qui falsum testatus est scienter, tenetur se retractare cum æquali, & paulo majori suo damno, quia in æquali damno potior est ratio innocentis. At non tenetur se retractare, si sit moraliter certus, retractionem non profuturam; quia nullus obligatur ad opus inutile; nec si testis fuit ultimus, & reus repertus sit convictus per alios testes; quia tunc non est causa efficax damni. Nec cum suo damno longe altioris ordinis: *v. num.* 2766. Si vero falsum testatus est ignoranter, inadvertenter, & sine peccato mortali, tunc tenetur se retractare; at non cum notabili suo damno, etiam minori; sed discurrendum, sicut de restitutione, ex re accepta: *vid. num.* 2691.

De reo, & teste: *v. a num.* 1728. *ad* 1764. 364. & fuse *in som.* 2. *cap.*2. præsertim *num.* 73.

CASUS DE INSTRUMENTO.

2785 Petrus amisit quoddam instrumentum publicum, & legitimum, *v. gr. testamentum*; *&c. an peccet graviter, si aliud simile privatim conficiet.*

Resp. In foro externo hunc præsumi falsarium, & puniri; quia de veritate non constat. In foro autem conscientiæ (de quo est sermo) non peccare mortaliter, sed ad summum venialiter, docet Arsdekin *in tom.* 2. *pag.* 159. *qu.* 13. cum Mendo *in flaterra disserr.* 13. *qu.* 17. Navarr. *cap.* 17. *n.* 168. quia nulli damnum, aut injustitiam infert; sed solum peccat contra veritatem, non facti, aut scripturæ formalis, sed scripturæ materialis; quatenus proponit scripturam illam materialem credendam esse instrumentum authoritate publica primo confectum. Plures apud Arsdekin eum a venialí, & a mendacio excusant. Idem tenent Bausius, & Sa apud Ant. a Spir. Sant. *tract.* 5. *de jur. disp.* 1. *sect.* 9. *n.* 54. qui eos sequitur tantum quoad privatas scripturas: At in consultis nostram sententiam probabilem vocat, pluribus rationibus & auctoribus confirmat.

SECRETUM NATURALE

2786 Imponitur, vel expresse, ut *Tibi dico sub sigillo confessionis, sub secreto naturali, ut nemini dicas, &c.* vel implicite; *Tibi dico, ut amico pro consilio, ut dolorem leniam, &c.*

2787 Obligat sub mortali, si res sit gravis considerationis, & ejus violatio cedat in grave damnum, aut in gravem displicentiam ejus qui secretum commisit; quia tunc violatio secreti valde nocet societati humanæ, & est gravium discordiarum causa. Quod est verum, etiam si uni, vel alteri viro prudenti dicas, si qui secretum imposuit, iis specialiter non velit secretum revelandum. Idem dic de litterarum injuriosa aperitione, nisi prudenter præsumas auctorem litteræ non invitum, aut nisi id factas ad vitandum grave damnum injustum, quod inde prudenter times.

2788 Magis peccant Secretarius, & Notarius publicus, qui tenentur ex officio, & sub juramento ad secretum. Non est peccatum revelare secretum naturale, etiam juratum ad impediendum damnum publicum, aut tertiæ personæ innocentis, seu si secretum sit de delicto patrando. Est autem mortale illud revelare, si damnum sit jam secutum, & non pendeat in futurum: *v. num.* 126. 1704. *a* 1733. *ad* 1736. 1633. 1696. & 1697. *& tom.* 2. *a num.* 55.

Scotus *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 4. *litt.* F. Mastr. *in Theol. moral. disp.* 11. *quæst.* 9. Joan. la Crux 8. *præc.* Busemb. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 4. 6. & 7. *lib.* 5. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 6.

PARS

PARS TERTIA.

De quinque Præceptis Ecclesiæ.

DE I. PRÆCEPTO

Audire Missam diebus Dominicis, & Festis de Præcepto.

2789 Fideles, postquam ad usum rationis pervenerint, qui regulariter post septennium expletum præsumitur, tenentur sub mortali audire Sacrum diebus Dominicis, & festis de præcepto.

2790 Ad satisfaciendum huic præcepto quatuor requiruntur. 1. *Præsentia moralis.* Hinc nec est necesse, quod actu audiat Sacerdotem aut videat; nam mutus, surdus, aut ob multitudinem populi distans, ut actu nec audiat, nec videat, satisfacit, si sacrificio sit præsens; adeoque *per auditionem Missæ* intelligitur actio qua quis sacrificio est præsens, eique assistit modo humano, corpore videlicet, & mente, & ita tali distantia, ut possit Sacerdotem videre, cujusque Ministerium, & actiones attendere. Unde non satisfacit, qui e fenestra suæ domus extra Ecclesiam sitæ Missam, quæ intra Ecclesiam celebratur, audiret; quia non est moraliter præsens. Affirmat tamen Tambur. *lib.* 4. *c.* 2. §. 1. *n.* 14. & Clericatus *cap.* 109. *n.* 7. Similiter, nec qui extra januam Ecclesiæ positus, cum audiret, nisi id contingeret ob multitudinem nimiam populi, quam Ecclesia capere non valet, quia tunc censetur moraliter præsens ratione conjunctionis cum multitudine, cum qua constituit unum corpus morale fidelium, Sacro præsens, & assistens.

2791 2. *Intentio.* Requiritur, inquam, intentio audiendi Missam saltem virtualis, aut interpretativa: quam *vid. in tom.* 3. *in Exam. Ordinand. a n.* 206. unde qui in Ecclesia est præsens Sacro non animo audiendi Sacrum, sed expectandi amicum, non satisfacit; quia actio illa auditionis, est pure casualis, externa, & non humana; Ecclesia autem præcipit actum humanum, ac proinde voluntarium, seu actum mixtum ex externa auditione, & interna volitione: *v. n.* 184.

2792 E contra, si audis, habens intentionem audiendi, non tamen satisfaciendi per illud Sacrum præcepto, sed ob devotionem, si postea aliud Sacrum non audias, satisfecisti præcepto; quia præceptum vult auditionem humanam; animus autem non satisfaciendi præcepto hac, vel illa auditione Sacri, non facit, quin auditio illa fuerit humana. Tum quia aliud est loqui de animo non satisfaciendi præcepto hac, vel illa auditione Sacri, aliud de animo absolute non satisfaciendi præcepto, quia hic, utpote exclusivus actionis præceptæ, est mortalis: *v. n.* 145.

2793 Item, qui audit Missam ob devotionem ignorans esse diem festum, si postea advertat, non tenetur ad aliud Sacrum, quia jam satisfecit, tam ob allatam rationem, quam ob virtualem intentionem satisfaciendi.

2794 3. *Attentio.* Requiritur sub mortali. Diana, Card. de Lugo, Tambur. & alii volunt, sufficere solam attentionem externam, quatenus dum quis assistit Missæ, non occupetur in aliqua actione externa moraliter incompossibili cum auditione; verbi gratia, pingendo, scribendo, confabulando, &c. adeoque non obstare solam internam distractionem mentis etiam voluntariam: quia Ecclesia præcipit auditionem externam, & orationis subsistantia non dependet ab attentione actuali interna.

2795 Dico tamen, sub mortali requiri attentionem internam, Mastrius cum Cajetan, & Bonacin. quia Ecclesia præcipiendo auditionem Sacri, præcipit actionem humanam Religiosam, qualis non est, nec auditio Sacri, nec oratio sine ullis prorsus attentione interna, sed cum omnimoda voluntaria distractione interna. Omnino *v. dicta a num.* 286. & 454.

2796 Attentio vero interna est triplex. 1. Qua attenditur ad actiones Sacerdotis. 2. Qua attenditur ad significationem verborum. 3. Qua inde mens ad Deum elevatur, contemplando videlicet mysteria, quæ per actiones, aut Sacerdotis verba exprimuntur. Secunda attentio est melior, tertia est optima, sed sola prima est necessaria. Quia præceptum de auditione Missæ, non est de oratione, sed de assistentia Sacrificio. Requiritur igitur, ut saltem virtualiter, & in confuso attendas ad actiones Sacerdotis. Unde est mortalis voluntaria distractio notabilis, secus si sit involuntaria, ut sæpe contingere solet, aut voluntaria, sed brevis; *vid. num.* 441.

2797 4. *Integritas*: unde mortale est partem notabilem omittere. Parvam partem putant communiter Doctores, omittere a principio Missæ usque ad Epistolam exclusive; & a communione exclusive usque ad finem; alii usque ad Evangelium exclusive.

2798 Non satisfacit præcepto, sed mortaliter peccat, qui duas, aut quatuor Sacri partes simul a diversis celebrantibus audit; imo propositio affirmativa est damnat. ab Innoc. XI. vide *Propos.* 55. quia præceptum est de audienda una integra Missa: quæ declaratio satis colligitur ex ipsa damnatione Pontificis ex Cathedra loquentis: qui enim plures partes Sacri simul a diversis celebrantibus audit, non dicitur audire unam integram Missam; sed plures partes plurium Missarum, nulla integra.

2799 Eadem ratione non satisfacit, qui duas partes successive a diversis celebrantibus audit, v. g. a consecratione usque ad finem ab uno, & postea ab initio usque ad consecrationem ab alio; unde opinio affirmativa in casu auditionis plurium partium a diversis successive, mihi videtur virtualiter in damnatione recensitæ propositionis 55. comprehendi; quia eadem est ratio.

2800 Unica auditione Sacri non satisfacit quis duplici præcepto pro die præsenti, & crastino, quia Ecclesia singulis diebus actiones distinctas præcipit: unde sicut præceptum jejunii, singulis diebus distincta jejunia intendit, & præceptum recitandi Officium distinctas recitationes; ita præceptum de audiendo Sacro distinctas auditiones: & sicut propositio asserens, *quod unico Officio quis satisfacitat duplici præcepto pro die præsenti, & crastino*, est damn. ab Alex. VII. *in Propos.* 35. ita est virtualiter damnata propositio id asserens de auditione Sacri, aut jejunio.

2801 Audientes autem Missam Summi Pontificis ante mediam noctem Natalis, satisfaciunt præcepto; quia ex fictione juris, seu ex dispositione Summi Pontificis, censetur pertinere ad diem sequentem: *sic dies vespertina hesterna moraliter reputatur a jure hodierna in ordine ad recitandum Matutinum hujus diei, non sic in ordine ad laborandum die festo.* Ita Tambur. *tom.* 2.

2802 Dum quis audit Missam, recitare potest nedum orationes ex devotione, puta Rosarium, Officium Virginis, &c. ut vult Communis, sed etiam de præcepto, nempe Officium Divinum, vel ratione voti, aut pœnitentiæ, Clericat. *cap.* 109. *n.* 8. Diana *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 2. & *part.* 13. *resol.* 61. quia hæ orationes non impendiunt præsentiam, & attentionem sufficientem ad utrumque: imo per utrumque au-

audiens est magis cum Deo, quia orario magis reddit mentem attentam ad Deum, & impedit voluntarias divagationes ad impertinentia contingere solitas. Et parum interest, quod oratio sit præcepta, vel non præcepta, ad hoc ut attentionem sufficientem impediat, vel non impediat.

2805 Durante tamen Sacro non potest quis confiteri, Azor. contra Bonacin. quia confessio non est orario, sed accusatio, & actus judicii omnino disparatus, & attentionem ad Sacrum impediens. Affirmat Clericatus *cap.* 1. si cito se expediat, puta usque ad Evangelium.

2806 Qui mane discedit e loco, ubi festum colitur, accessurus ad locum, ubi non colitur, non tenetur prævenire, per Bonacin. & alios, quia præceptum non est affixum determinatæ horæ, sed extenditur ab aurora usque ad meridiem. Dico tamen, quod teneatur prævenire, si sine gravi incommodo potest, quia prævidens impedimentum proximum futurum adimplentionis præcepti, tenetur eam prævenire, si sine gravi incommodo potest; alioquin consetur velle malitiose transgressionem: *vide hic num.* 2900. & 2902. & *tom.* 2. *num.* 636. & *tom.* 3. *num.* 281.

2807. 1. *Excusat ab auditione sacri die festo rationabilis causa*, quia præcepta positiva Ecclesiastica, utpote ex benigna matre, non obligant cum tanto rigore.

2808 Excusat, 1. *Impotentia physica*: hinc excusatur infirmus, aut detentus in carcere: *vid. num.* 456. & 457.

2807. 2. *Impotentia moralis, seu gravis difficultas*: hinc excusatur, Qui prudenter grave damnum sibi, aut aliis timet, si exeat. Qui gravem difficultatem habet, ob notabilem distantiam ab Ecclesia, & pluviam. Gravida, si gravitatis sit periculosa. Mater, si non habet cui relinquere infantulum, nec possit secum ducere, quia alias solus domi pati posset periculum. Persona, quæ habet infirmos domi, qui possent pati periculum, & non habeat cui relinquere. Qui debet gravia negotia expedire, quæ commode differre non potest. Qui iter agens, Sacrum audire non potest, nisi amittat socios, sine quibus prudenter timet latronum periculum, aut aliud malum. Mulier honesta, quæ caret habitu honesto, quia non obligatur accedere cum gravi sua confusione: curare tamen debet, ut accedat valde mane, quando populi concursus esse non solet; si id sine gravi incommodo, aut confusione facere potest.

2808 3. *Officium*. Hinc excusantur milites, qui castrum, aut portas Civitatis custodiunt, si sine periculo suo muneri deesse non possunt. Pastores ovium, & armentorum, & similes, si ex absentia periculum timent, quod quidem regulariter contingit; qui tamen, si sint plures, curare debent, ut relictis uno, aut pluribus, quot sufficiunt ad custodiam, accedant alii ad Sacrum: & sic faciant ad invicem, vel diversis horis ejusdem diei, vel diversis festis, juxta loci propinquitatem, aut distantiam.

2809 4. *Consuetudo*. Hinc excusantur mulieres, si ex consuetudine patriæ egredi non soleant tempore luctus, aut post partum, per dies purificationis, dummodo non exeant ob alias causas. Consuetudo mulierum (ubi est) manendi primo anno viduitatis domi, ita ut neque diebus festis exeant ad audiendam Missam, est ab Episcopis, uti irrationabilis & exorbitans, extirpanda.

2810 5. *Censura*. Hinc, qui est ligatus excommunicatione majori, aut interdicto, nec tenetur, nec potest sine mortali Missam audire.

Tempore autem interdicti habens Bullam peccat mortaliter, si die festo omittat Sacrum, quia tunc implere præceptum, quando potest; sed tunc potest, nam per Bullam potest audire Sacrum tempore interdicti; igitur.

2811 6. *Inadvertentia*, quia inadvertentia, aut oblivio æquivalet ignorantiæ invincibili, adeoque excusat a culpa: *v. num.* 460.

2812 Quæres. *In villa, ubi est unicus Sacerdos, die festo Petrus accedit ad Ecclesiam, & reperit Sacerdotem perventum ad præfationem, an teneatur audire reliquum Missæ?* Negant Ledesma, & Joan. Sanchez; quia per reliquam partem hujus Missæ non potest implere præceptum, quod est de integra.

Resp. teneri Moya, & Arsdekin: quia pars ista a Præfatione ad finem est principalis, nam in eo continetur essentia sacrificii, nempe *Consecratio, Oblatio, & Consumptio*. Prior vero pars est pure integralis, & accessoria; principale autem non sequitur accessorium, sed e contra; adeoque Petrus tenetur ad illam audiendam.

Scotus *in* 3. *d.* 9. *quæst. unic. lit. C*, Mastrius *disp.* 11. *quæst.* 2. *art.* 1. Joan. la Crux, *pag.* 49. Tambur. *tom.* 1. *pag.* 124. Leander de *præc. Eccles. tom.* 2. Busemb. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 3. Clericatus *cap.* 47. & 109. Mendo *ver. Missa*.

ADDITIO

Aliud practicum.

QUando Festum Annunciationis incidit Feria quinta in Cœna Domini ii est obligatio audiendi Sacrum, ut jam declaratum fuit a Clemente Undecimo, & debent plures Missæ celebrari eo die, & non unica tantum; Quando vero incidit Feria Sexta, aut Sabbato ejusdem Hebdomadæ, non est obligatio audiendi tunc, sed quando fiet festum de Annuntiatione translatum.

DE II. PRÆCEPTO ECCLESIÆ.

Jejunare in Quadragesima, Vigiliis, & Quatuor Temporibus.
Et non comedere carnes diebus Veneris, & Sabbati.

JEJUNIUM

2813 ECclesiasticum, quoad substantiam, *consistit in unica comestione per diem, cum abstinentia a carnibus*.

2814 Majoris meriti est jejunium ex præcepto, aut voto, quam sponte factum, seu ex consilio: sic de aliis præceptis; quia jejunium sponte factum, hoc est sine præcepti, aut voti onere, habet meritum solius virtutis temperantiæ; factum vero ex voto, habet meritum Religionis, quæ est melior temperantia; & factum ex præcepto, meritum obedientiæ, quæ ex 1. *Regum* 15. est melior victima, ac temperantia; quia est species virtutis justitiæ, qua superiori præstamus, quæ debemus. Hinc in Evangelio dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Et Regius Psaltes Vota consulit, dicens: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus afferetis munera*. Et necessitas illa ex voto & præcepto non est necessitas coactionis, sed obligationis in Dei cultum, quæ plenam libertatem executionis minime tollit.

DE TEMPORE.

2815 HOc præceptum obligat sub mortali ad jejunandum diebus ab Ecclesia præscriptis: *vid. Propos.* 23. ab Alex. VII. *damn.* nempe diebus Quadragesimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum.

Horam comestionis, quæ est circa meridiem, notabiliter sine causa prævenire, non est mortale, sed veniale; imo nullum, si ex causa, quia tempus comestionis non est de substantia jejunii. Idem dic, si collatio facienda sero, fiat mane, & comestio sero.

2816 Cœnans die Jovis, si dubites, an sit hora media noctis, potes comedere carnes; quia est in possessione libertas edendi. Si id dubitas die Sabbati, teneris abstinere, quia est in possessione præceptum abstinendi, utpote prius dubio.

QUÆRES I.

2817 *An liceat prosequi unum horologium pro jejunio Ecclesiastico, & aliud pro jejunio naturali ad communionem.*

NEgat de Lugo; *quia eo ipso, quod quis unum horologium libere accipit, videtur renunciare omnibus aliis*. Affirmat Diana *part.* 10. *tract.* 15. *resol.* 29. cum de Castillo, qui ait: *In hoc enim casu mutat quidem sententiam, & variat horologia, sed non ex primaria intentione variationis; quia sic esset alternatus collusio, cum agatur de duobus præceptis: sed ex accidenti, quatenus nesciens aliam esse regulam præter unicam primi horologii, illam capit sequi, postea vero se accommodat alteri regulæ, quam videt probabilem.*

QUÆRES II.

2818 *An liceat die Dominico jejunare?*

QUantum est ex se, licitum esse ostenditur *ex cap. Utinam dist.* 26. *Utinam omni tempore jejunare possemus, quod in actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus.*

2819 Attamen circa hoc, quod est ex se licitum, errores, & superstitiones immiscuere hæretici. Nam *Manichei*, in contemptum Resurrectionis Domini; dixerunt, jejunium die Dominico necessarium esse, *Arius*, & *Eresmus*, e contra apud Alphonsum de Castro *ver. jejunium*, volebant, jejunia non esse aliquo, & statuto tempore instituenda, sed quemlibet sponte jejunare debere & quando voluerit.

2820 Ob quas hæreses, superstitiones, & alios errores, in Can. 65. Apostolorum definitur: *Si quis Dominicum diem, aut Sabbatum, uno solo tempore, jejunare deprehendatur, deponitor; sin laicus, a communione ejiciatur. Et in c. Quadragesima, de consecratione dist.* 3. Ecclesia a Quadragesima dies Dominicos excipit: *& in cap. ex parte, de observ. jejuniorum*, si jejunium alicujus vigiliæ in diem Dominicam incidat, anticipari præcipit præcedenti Sabbato, ne videamur judaizare, & ne dentur manus erroribus, ac ut majori lætitia Deum, atque Sanctos diebus solemnibus recolamus.

2821 His de causis Urb. VIII. 14. Octobr. 1638. declaravit, quod quando vigilia S. Joan. Bapt. incidit in Festo Corporis Christi, anticipandum est jejunium feria quarta: *Et quod dies festus hujusmodi, quo tanta Sacramenti institutio summæ totius populi Christiani lætitia recolitur, e principalibus anni festivitatibus existat.*

2822 Idem debet disponere Episcopus, si in festo solemni alicujus patroni principali vigilia occurrat. Sanchez *in consiliis lib.* 5. *d.* 5. *n.* 7. Ant. a Spir. S. *tom.* 1. *tract.* 6. *d.* 2. *sect.* 5. *num.* 130. Fagnan. *lib.* 3. *Decretal.* S. C. Concilii *de observ. jejuniorum num.* 31.

Hac ratione Panormi jejunium vigiliæ D. Jacobi, quod contingit in festo Natalis S. Christinæ, transfertur in diem præcedentem.

2823 At non potest vigilia sic transferri ab Episcopo, si contingat aliquo die bacchanalium; quia tunc non haberet causa sufficienta transferendi, sed potius jejunium ab Ecclesia tunc præscriptum monendi ad magis cohibendam petulantiam carnis. Et Ecclesia vigilias transferre non consuevit, nisi ob causas relatas, quæ locum non habent die bacchanalium, Leander de *jejunio tract.* 5. *dis.* 20. *quæst.* 42.

His accedit Decr. S. Rituum Congreg. 23. Jan. 1694. jejunandum esse eadem die vigiliæ S. Mathiæ, non obstante, quod contingat ultima die bacchanalium.

2824 Insuper non esse jejunandum Dominicis diebus, decernitur *in c. Ne quis jejunet, de consecr. dist.* 3.

2825 Denique S. Congreg. Universf. Inquis. Rom. anno 1686. præcepit, ut nullo pasto ex devotione, etiam B. Virginis, imponatur jejunium, quod indifferenter amplectatur dies Dominicos, & festivos solemnes, puta faciendum una die hebdomadæ totius anni, utpote quod sit contra usum, & praxim Ecclesiæ; non impedit autem, si jejunium commutetur eo die festivo in aliam mortificationem, aut ad alium diem transferatur. Dicta dispositio Sacr. Congregat. asservatur in Archivio nostræ Provinciæ.

2826 Idem est dicendum de voto jejunii, adeoque votum jejunandi ordinarie diebus Dominicis, aut cum aliquo singularitatis studio, v. g. ex septem diebus hebdomadæ jejunandi die Dominica, est nullum, utpote de materia illicita; itaut neque sit transferendum; quia tale jejunium est cultus superstitiosus, falsus, & superfluus, ait Cajet. 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1. *vers. in sequenti vero*. Unde est suspectus de hæresi.

2827 Hinc qui vovit jejunare per annum ea die hebdomadæ, qua fit festum Annunciationis, si expresse habuit intentionem comprehendendi dies festivos solemnes, aut dies Dominicos, quatenus festum die Dominica venit, non tenetur ad jejunium, nec anticipare, quia fuit de materia illicita: si vero non habuit expressam intentionem, sed intentionem recte jejunandi, & verum cultum, & devotionem (quod in dubio est præsumendum) tunc validum est votum, sed debet, occurrente festo solemni, aut Dominico, anticipare jejunium, quia intentio voventis, utpote recta, præsumitur fuisse de jejunando juxta usum, & morem Ecclesiæ.

2828 Thomas del Bene *part.* 2. *de Inquisit. dub.* 219. *sect.* 4. *n.* 7. Alarius *lib.* 3. *de voto n.* 69. & Sanchez *in sum. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 16. addunt: *Quod secus dicendum sit, si fuerit votum jejunandi solis aliquibus diebus Dominicis ob beneficium, aut honestum aliquem finem, secluso scandalo, & omni alio pravo mortali fine; & etiam secluso vero singularitatis studio; quia tunc est votum de re licita*. Eo maxime, quia tunc haud amplius vigent præmissæ hæreses.

QUÆRES III.

2829 *An præceptum jejunii qualibet sexta feria, quod habent ex Regula Fratres Minores, obliget, etiam si feria sexta contigerit festum Natalis Domini.*

NOn obligare, tenet Melphi *in commentar. cap.* 3. *Stat.* 13. *quæst.* 5. cum Diana, Bonac. Fagundez, & aliis apud ipsum, ac novissime Gobat *tom.* 3. *de voto, num.* 115.

Ratio est, quia præceptum Regulæ de jejunando qualibet sexta feria, cum in eo non exprimatur festum Nativitatis, intelligitur factum juxta consuetudinem Ecclesiæ, quæ eo die cunctos fideles a communi obligatione abstinentiæ a carnibus dispensat.

2830 Unde ad textum Honorii III. qui in contrarium adducitur, respondent, ibi esse sermonem de iis, qui sunt adstricti voto jejunii expresse comprehendente diem Natalis, aut Regulari observantia de vita Quadragesimali, ut Fratres Minimi, qui proinde eo die abstinere debent a carnibus. Nos autem non tenemur ad jejunium feria sexta ex voto, sed ex præcepto. Nec dictum præceptum Regulæ mentionem facit de die Natalis Domini.

2831 Nec demum consuetudo in contrarium obstat, qia statuta Ordinis, & consuetudines Religionis, etiam auctoritate Apostolica roborata, cx Declarat. Sixti IV. (qui fuit post Honorium) per Bullam 26. *circumspecta*,

1. Dec. 1480. apud Bullarium Rodr. pag. 169. non obligant sub culpa mortali, sed sub pœna exteriori. Bulla est tenoris sequentis.

Sixtus, &c. Circumspecta, &c. Sane pro parte dictorum filiorum Ministri Generalis, & universorum Fratrum Ordinis Fratrum Minorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet multis fratribus ejusdem Ordinis satis durum, & difficile sit regulam S. Francisci tenere, ac ad suarum salutem animarum sufficere videatur, regulam ipsam laudabiliter observare: nihilominus, quia nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri, & alii, ac etiam Generalis, & Fratres ipsius Ordinis fervore devotionis accensi, ultra dictam regulam nonnulla statuta, & ordinationes suæ constitutionis fecerint, per quæ aliqua eisdem fratribus prohibentur, utpote comedere carnes in Nativitatis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, & Pentecostes, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, cæterisque aliis festivitatibus, & diebus; quædam vero alia ipsis præcipiuntur fieri sub excommunicationis pœna vel aliis censuris Ecclesiasticis, seu aliis pœnis, quas contra facientes ipso facto incurrunt; multi propterea dicti Ordinis fratres contra faciendo censuris, & pœnis taliter latis, sæpe numero involvuntur, & illaqueantur: unde statuta, & ordinationes prædictæ potius ad animarum suarum dispendium, quam salutem ædificare videntur. Verum si censuræ, & pœnæ prædictæ in contrafacientes, ut præfertur, ipso facto latæ in comminatorias, & infligendas, & temporales pœnas mutarentur, profecto saluti plurimorum opportune consuleretur. Quare pro parte ministri, & fratrum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsi in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium animarum dispendiis libenter obviamus, eorumque salutem sinceris desideriis exoptamus, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, statuimus, atque decernimus, quod Ministri, Custodes, Guardiani, & Fratres dicti Ordinis præsentes, & qui pro tempore fuerint, statutis, seu consuetudinibus, vel declarationibus d. Ordinis præter regulam quomodolibet, & a quibuscumque editis, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, illis contra faciendo, nulla Ecclesiastica censura, nulloque mortalis peccati vinculo ligari valeant, nec censuras, nec pœnas, seu mortale peccatum hujusmodi incurrant, nisi tales essent casus, vel excessus, qui divina lege, seu præcepto Romanæ Ecclesiæ merito inducerent ad mortale: censuras & pœnas taliter latas harum serie revocantes, & annullantes, illasque ad vim comminationis pœnarum comminatoriarum, & ferendarum, seu corporales, & temporales pœnas prædictas, per Generalem ministrum, Custodes, & Guardianos, & alios Prælatos ipsius Ordinis ferendas, & infligendas reducentes, &c. Non obstantibus statutis, ordinationibus, & declarationibus præmissis, quibus quoad hoc expresse derogamus, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non aliis statutis, & consuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis contrariis quibuscumque.

2832 Et Pater Wadingus ad annum 1215. refert, S. P. Franciscum super hoc a fratribus interrogatum respondisse: *Non solum homines puto die illo carnes manducare posse, verum etiam parietes, si eis vesci possent, abundanter eis ministrandas velim, vel deforis carnibus linendos.*

2833 Obligare docent nostræ Regulæ expositores, Corduba, Miranda, Rodr. Port. & alii apud Melphi *citat.* & ex exteris Fagnan. *lib. 3. cap. Explicari 3. de observ. jejuniorum.* Ex Decl. Honorii III. *cap. Explicari 3. de observ. jejun. lib. 3.* Qui Episcopo Pragensi super hoc puncto interroganti respondit.

Explicari per Sedem Apostolicam postulasti, &c. Respondemus, quod illi, qui nec voto, nec Regulari observantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contingeret, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.

2835 Cui declarationi accedit consuetudo, & praxis totius nostræ Religionis; unde non est ab sententia recedendum.

QUÆRES IV.

2835 *An Moniales S. Claræ teneantur sub mortali ad jejunia Regulæ, nempe Adventus, & feriæ sextæ?*

PRo Clarissis duæ sunt edictæ Regulæ. Prima fuit tradita a S. P. N. Francisco, approbata ab Innoc. IV. 16. Septembr. 1253. Constit. 12. in Bullario *tom.* 1. in duodecim distributa Capitula, in quorum tertio imponitur jejunium perpetuum.

2836 Secunda fuit disposita ab Urb. IV. 1263. quæ incipit, *Beata Clara, ut in Const. 7. in tom.* 1. Bullarii, & divisa in 26. Capitula, in quorum undecimo fuit moderatum jejunium, & impositum a festo Nativitatis B. Virginis ad festum Resurrectionis Domini, & feriis sextis.

2837 Denique plenas manus dedit Eugenius IV. Nonis Febr. 1446. Constit. 28. apud Bullar. Cherubini, quæ est 31. apud Bullar. Rodr. & 2. apud Confectio, & incipit *Ordinis tui*, per quam ad supplicationem S. Joannis de Capistrano, tunc nostri Ordinis Vicarii Generalis, jejunium benignius moderavit, plura dubia præmissæ Regulæ declaravit, & obligationem peccati mortalis ad sola quinque puncta restrinxit, eam a reliquis præceptis amovendo. Et quia hæc Bulla est norma, & mensura totius Regulæ D. Claræ, a Directoribus præ oculis habenda, ad tollendos scrupulos, atque errores, qui ex conscientia erronea possent contingere, operæ pretium duxi eam hic apponere. Est igitur, ut sequitur.

(Eugenius, &c. Ordinis tui, &c. Præterea cum in regula Beatæ Claræ jubeatur jejunium perpetuum, quod nimis rigorosum tenemus; placet, & volumus, quod supradictæ, & Tertii, & aliorum Ordinum sororis, solummodo teneantur ad illa jejunia, ad quæ vos fratres Ordinis Minorum, Regulam Observantes, obligati estis, & eosdem modos servent in cibis Quadragesimali tempore, exceptis debilibus, & infirmis. In aliis vero jejuniis, ut sunt quatuor Tempora, Vigiliæ Apostolorum, & similium, servetur consuetudo Religionis, secundum quam liceat eis etiam ova & lacticinia comedere. Cum etiam in Monasteriis sorores sive Monachæ incedant nudis pedibus discalceatæ, quod nimis rigorosum existimamus, placet, & volumus, quod sorores, sive monachæ possint deferre illa, quæ nomine calceamentorum non censentur, puta cuquos ligneos, & sandalia, atque etiam, cum opportunum fuerit, calceamenta. Item cum in aliquibus Monasteriis, locis, & congregationibus, injungatur silentium perpetuum, quod quidem nimis rigorosum existit; tibi tuisque in officio successoribus, & provinciarum vobis subjectarum vicariis, cum discretorum consilio dispensandi, tam in cibis, quam in quibuscumque aliis perpetuis, quam in silentio supradicto, concedimus facultatem. Insuper cum dilectus filius frater Joannes de Capistrano tuus in Vicariatus Officio prædecessor declaraverit, quod in regula prima Beatæ Claræ contineantur centum, & triginta præcepta regularia, in quorum transgressione moniales, sive sorores professæ, peccatum mortale incurrunt; idque nimis durum, & periculosum judicemus: auctoritate, & tenore præsentium declaramus, & volumus, quod in nullius prædictorum transgressione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ scilicet, paupertatis, castitatis, & clausuræ, & super electione Abbatissæ, & depositione, peccatum mortale incurrant.

2838 Ubi Pontifex, quantum ad rem nostram, de jejunio duo disponit, videlicet primo obligationem temporis, secundo obligationem peccati; prius namque jejunium perpetuum in prima Regula Monialibus præscriptum reducit ad tempus, & numerum jejuniorum Fratrum, ita ut solum teneantur ad jejunia Fratrum Minorum de Observantia, nimirum feriæ sextæ, & Adventus a die Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini exclusive. At non sub mortali, sub quo sunt obligati fratres; nam postea descendendo ad obligationem peccati cunctorum præceptorum dictæ Regulæ numero centum, & trium, quæ refert, & inter quæ sub Capitulo tertio est jejunium, subdit.

Tenore præsentium declaramus, & volumus, quod in nullius prædictorum transgressione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ scilicet, paupertatis, castitatis, & clausuræ, & super electione Abbatissæ, & depositione, peccatum mortale incurrant. Ubi habetur expressa exceptio, & positiva aliorum præceptorum exclusio, inter quæ est jejunium: *Exceptio* autem *firmat* regulam in contrarium.

2839 Confirmatur; quia verba posteriora Bullæ, in quibus est sermo de obligatione peccati, referuntur ad priora, nimirum ad omnia præcepta dictæ primæ Regulæ; imo expresse recensentur sub numero centum trium, adeoque referuntur ad jejunium, quod in dicto numero continetur; & consequenter per priora verba, quod Moniales teneantur ad jejunia fratrum, solum disponit Pontifex de obligatione temporis, minime de obligatione peccati: alioquin in posterioribus verbis, per quæ cætera omnia præcepta, præter quatuor expressa, ab obligatione peccati mortali excludit, sibi contradiceret: quod non est dicendum. Per priora igitur verba Pontifex modificavit jejunium quoad tempus de perpetuo in temporaneum, uti est in fratribus; per posteriora vero ulterius modificavit jejunium quoad peccatum. Hinc per propria verba expressit tempus (ut constat), per posteriora obligationem peccati.

Vide *num.* 428. 429. & 464. Et hæc sunt satis pro notitia obligationis Regulæ Clarissarum, insuper Sororum Tertii, ac aliorum Ordinum D. Francisci, quæ tamen licet de benignitate Apostolica sint a mortali culpa liberatæ, sunt enixe monendæ super observantia præceptorum Regulæ, maxime jejuniorum, tempore, quo solent jejunare fratres.

DE INTERRUPTIONE.

2840 SI ad satietatem te refecisti, & linteolum plicasti cum animo amplius non comedendi, si postea aliquid occurrens comedas, non violas jejunium, si non sit elapsum notabiliter quadrans: quia per tam breve tempus non habetur moralis interruptio.

2841 Si autem evocatus, aut ob negotium menti occurrens comestionem interrumpis, cum animo eam postea prosequendi, majus tempus requiritur ad interruptionem moralem, quæ jejunium frangat; unde non frangis jejunium, si interrumpas per horam.

2842 Similiter pauperes non frangunt jejunium, si plures interruptiones faciant, ob plures comestiunculas, quæ ad unam justam refectionem sufficiant.

DE QUANTITATE.

2843 A Peccato mortali excusat parvitas materiæ. Quoad carnem, parva quantitas est illa, quam coquus de necessitate gustare debet, ut discernat, an sit bene aptata: quoad alios cibos, duæ unciæ. At si quis sæpius intra eamdem diem quid modicum comedit, advertat in fine notabilem quantitatem se comedisse, frangit jejunium: quia plura illa modica intra eamdem diem continuantur moraliter; minime, si intra diversos dies, *v. num.* 206. & *Propos.* 29. ab Alex. VII. *damn.*

2844 A veniali excusantur, qui ob urbanitatem, aut preces amici, quid modicum sumit.

2845 Qui mane ante comestionem medicamen aliquod sumit, jejunium non frangit, quia ea non est comestio, sed medicina.

2846 Qui pluries in die quid notabile comedit, peccat solum mortaliter in secunda comestione, & non in sequentibus; qui vero pluries carnes comedit, peccat toties quoties comedit; quia præceptum de jejunio est præceptum dividuum, continens scilicet duo præcepta partialia, unum affirmativum de unica comestione, quod non obligat pro semper, alterum negativum de non comedendis carnibus, quod obligat semper, & pro semper. Per secundam, inquam, comestionem quis fit impotens ad servandum præceptum de unica comestione, & sic non peccat per reliquas comestiones, quia non peccat quis non observando præceptum, quod servare non potest. Post quamlibet autem comestionem carnis, adhuc est quis potens ad servandum præceptum de non comedendo carnes, & ideo quoties carnes comedit, toties peccat.

2847 Qui quantitatem notabilem particularum consecratarum sumeret, jejunium frangeret, quia esset comestio, notabile & substantiale nutrimentum afferens, supplente Deo defectum naturalem substantiæ panis. Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 11.

DE QUALITATE.

2848 EXtra dies jejunii prohibetur fidelibus comedere carnes diebus Veneris, & Sabbati, nisi eo die contingat festum Natalis Domini. Nomine carnis etiam venit jus carnis; non prohibentur autem ova, & lacticinia; nec consuetudo, quæ in hoc adest, obligat sub mortali, quia est introducta ex devotione, non animo obligandi; ita namque tenet communis Doctorum mens; unde monendi sunt simplices, ne peccent ex conscientia erronea: *v. n.* 486.

2849 Tempore Quadragesimæ prohibentur non solum carnes, sed etiam ova, & lacticinia, ex consuetudine obligante ad mortale, sic acceptata ex communi Doctorum sensu, & determinatione Ecclesiæ: *vide Propos.* 32. ab Alex. VII. *damn.* & *num.* 2857.

2850 Imo tempore Quadragesimæ prohibentur ova, & lacticinia, non solum diebus jejunii, sed etiam diebus Dominicis, *ex cap. denique* 6. & *ult. dist.* 4. *v. num.* 2857.

Par autem est, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo, & ovis. Par est ratio; quia abstinentia a carnibus, & lacticiniis, est præceptum negativum. Item in sexta Synodo Constantinopolitana generali celebrata ann. 681. ubi Can. 56. sic dicitur: *Accepimus, in Armeniorum regione, & in aliis locis, in Sabbatis, & Dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam ova, & caseum comedere. Visum est ergo, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum Orbe, unum ordinem sequens, jejunium perficiat: & abstineant sicut ab omni mactabili, sic & ab ovis, & caseo: quæ quidem sunt fructus, & fœtus eorum, a quibus abstinemus. Si autem hoc non servaverint, si sunt Clerici, deponantur; si laici, segregentur.*

2851 In aliis autem jejuniis extra Quadragesimam, nempe quatuor Temporum, & Vigiliarum, non sunt prohibita ova, & lacticinia; idem dic de jejuniis ex voto, pœnitentia, aut Jubilæo. Doctores citandi: *v. num.* 2859.

2852 Potus etiam vini non frangit jejunium quia non est comestio. Hinc mustum non frangit jejunium, bene vero succum, quod quis ore sumit ex uva, quia illud sumitur per modum potus, istud per modum cibi, & comestionis. Idem dic de succo malorum punicorum, de peponibus, & similibus.

QUÆ-

QUÆRES

2853 *An Fratres Minores in jejuniis ex præcepto extra Quadragesimam, Adventus, & Feriæ sextæ, teneantur sub mortali abstinere ab ovis, & lacticiniis?*

A Firmat Melphi *in Comp. cap. 3. tract. 13. q. 1. & 2.* in locis ubi est consuetudo abstinendi, ut in Italia; secus in aliis Regionibus, ubi non est consuetudo abstinendi. Ita Quatuor Magistri, & Moderni expositores Regulæ, Corduba, Politius, Longus, quos refert, & sequitur Melphi *cit. qu. 2.*

2854 Tota ratio est consuetudo.

2855 Firmari tamen potest statuto Ordinis Salmant. Vallis, & Romano *cap. 3. §. 6. n. 1. Tempore quo fratribus ex præcepto Ecclesiæ, vel Regulæ nostræ infinito jejunandum est, non solum ab esu carnium, sed etiam ab ovis, casseo, & lacticiniis aliis abstinendum est.* Quod statutum videtur obligare ad mortale, quia est declaratorium Regulæ, ex facultate Eugenii Quarti concessa Capitulo Generali declarandi Regulam; quam facultatem refert Cor. *cap. 3. qu. 2. §.* Quartum punctum.

2856 Si autem, quid ego sentiam, cupis, judicium ferre nolo; intellectum tamen meum, discurrendi gratia, tibi aperiam.

Et quidem nulla mihi videtur obligatio mortalis. Oliendo: Talis obligatio abstinendi ab ovis, & lacticiniis in jejuniis extra Quadragesimam, ut sunt jejunia Adventus, & feriæ sextæ, vel oritur ex natura jejunii Ecclesiastici, vel ex præcepto Regulæ, vel ex consuetudine; nullum ex his dici potest.

2857 Non primum, quia si abstinentia a lacticiniis esset de natura jejunii Ecclesiastici, non staret jejunium Ecclesiasticum cum lacticiniis; certum autem est, quod stat; quia comedens lacticinia tenetur jejunare. Ita Com. Unde jejunium Eccles. non includere ex sui natura abstinentiam ab ovis, & lacticiniis, docent ex nostris Villal. *parv. 1. tract. 23. diff. 2.* & Port. *ver. jejunium in addit. n. 7.* cum Sanch. Leander a Marcia *qu. 9. super cap. 3.* Regulæ D. Francisci, & Melphi *cit. vers. civea quorum.* Ex Summistis vero, & Canonistis, tenet communior, nempe D. Thomas, Bonacin. Filliuc. Diana, Tamb. & innumeri alii apud Leandrum *de jejunio tract. 5. disp. 3. q. 4. & 5.*

Immo Port. *n. 8.* addit, jejunium Quadragesimale non includere in se abstinentiam a lacticiniis, *sed* eam esse distinctum quasi præceptum, *ex cap. denique 6. disp. 4.* Hinc qui in Quadragesima frangit jejunium, & lacticinia comedit, duo distincta peccata committit; & cessante ex aliqua causa præcepto jejunii, non cessat exinde præceptum abstinendi a lacticiniis: *q. num. 2871. & 1850.*

2858 Non secundum; quia præceptum Regulæ *c. 3.* non exprimit abstinentiam a lacticiniis, sed purum jejunium: *Jejunent a festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, & a aliis autem temporibus non teneantur, nisi sexta feria jejunare.* Adeoque cum simus in odiosis, & lacticinia sint (ex probatis) compossibilia cum jejunio, ac in præcepto non exprimantur, sub eo non comprehenduntur.

2859 Hinc jejunia ex voto, Jubilæo, & Pœnitentia, non obligare ad abstinentiam a lacticiniis, nisi exprimatur, docent Tamb. *de jejunio lib. 4. cap. 5. §. 1. n. 25.* Diana, Azorius, & alii communiter. Jejunium autem Regulæ extra Quadragesimam, vel est votum, vel purum præceptum (ut probabilius teneo) non plus obligans, quam votum.

2860 Insuper statutum *num. 2855. cit.* expresse prohibet usum lacticiniorum in communitate, ut liquet ex verbis, quæ immediate subdit: *Superiores vero locorum, qui aliter in communitate fieri fecerint, eue permiserint, suffragiorum jure, arbitrio Provincialis, priventur.*

2861 Idque non sub culpa mortali, sed sub pœna statutaria. Quia statura Ordinis, & consuetudines Religionis, etiam auctoritate Apostolica roborata, non obligare sub mortali, constat ex Bulla Sixti IV. *n. 2831.* relata, quam sequitur, ac docet communis expositorum, cum Melphi *in com. c. 2. stat. 72. qu. 1.*

2862 Falsum autem est, Eugenium IV. concessisse Capitulo Generali facultatem declarandi Regulam. Primo, quia Eugenius IV. per vivæ vocis oraculum, quod refert Rodr. in Bullario *pag. mihi 117. n. 1.* declaravit, nullum statutum nec antiquum, nec novum obligare fratres sub culpa mortali, aut censura; quomodo igitur potuit sine contradictione dare facultatem Capitulo Generali condendi statutum obligans ad mortale?

2863 Secundo, quia facultas declarandi Regulam solum residet apud sedem Apostolicam, minime apud Capitulum Generale. Et expositiones Doctorum solum faciunt opinionem probabilem. Longus *contr. 1. sect. 4.*

2864 Tertio, quia id esse falsum aperte liquet legenti concessionem ipsam, quam referunt Corduba, *c. 3. q. 2. §. quartum punctum,* Sorbo *in comp. ver. jejunium,* & Melphi, *c. 3. stat. 14. q. 2.* cujus verba sunt: Eugenius IV. *concessit Capitulo Generali facultatem ordinandi, & declarandi, in quibus locis, & Provinciis fratres debeant jejunia Regulæ in cibis Quadragesimalibus observare, & in quibus debeant Patrum consuetudinem imitari, vel aliter se habere:* Ubi (ut vides) non dedit facultatem declarandi Regulam, sed declarandi Provincias, in quibus debeant uti cibis Quadragesimalibus, ac servare consuetudinem, & in quibus non; eo modo, quo declaravit cum Monialibus, nullam exprimendo culpam, ut patet *in n. 2827.*

2865 Quarto: ex Melphi *in com c. 3. tr. 13. q. 2.* qui commentando præfatum statutum de *n. 2855.* adducit facultatem, & verba Eugen. IV. *n. 2864.* quibus immediate addit: *Circa quorum verborum seriem notandum primo fundari declarationem* (supple tu Eugenii IV.) *in jure communi, quo non præcipitur abstinere ab esu avorum, & lacticiniorum extra Quadragesimam: ideo præcisa consuetudine cessat omnis obligatio.* Ex quo infertur, nec statutum esse declaratorium Regulæ, nec Eugenium concessisse facultatem Capitulo Generali condendi statutum obligans ad culpam mortalem: alias non bene concluderet Melphi, nullum esse jus obligans: quia esset jus Regulæ, & Statuti Ordinis.

2866 Cæterum hoc gratis dato, omne tollit dubium Bulla Sixti IV. *n. 2831.* relata, quæ decernit, statuta, consuetudines, vel declarationes Ordinis præter Regulam, etiam auctoritate Apostolica roborata, non obligare sub culpa mortali, aut censura, ibique derogat omnes constitutiones etiam Apostolicas in contrarium. Unde facultas Eugenii, gratis dato, quod esset data Capitulo ad declarandam Regulam, nullius esset roboris, quia cum fuerit prior Sixto IV. per annos quadraginta, fuit expresse derogata per Bullam Sixti, quam amplectitur tota Religio cum suis expositoribus, Melphi *citat.* Miranda, Port. & alii apud ipsum, ac demum Corduba; *in introductione q. 6. §. fol. & notandum; vide num. 151.*

2867 Cum igitur constet, Franciscanos non teneri sub mortali ex jure communi Ecclesiæ, aut Regulæ, ad abstinentiam ab ovis, & lacticiniis, in jejuniis extra Quadragesimam, videndum manet, an teneantur ex consuetudine.

2868 Et non teneri ex consuetudine, probatur; quia consuetudo, ut obliget sub mortali, debet esse introducta animo se obligandi ad mortale: *ut ex num. 240.* ita ut si de hujusmodi animo non constet, standum est pro libertate, *ex num. 43.* Tambur. *de jejunio cap. 5. §. 1. num. 22. & com.* Id autem non constat de consuetudine, de qua est sermo.

2869 Non dicas, non posse aliud assignari motivum hujus introductæ consuetudinis, nisi animus se obligandi; motivum namque fuit fervor devotionis.

Pro-

Probatur, 1. quia in Franciscanis ligatis viginti-quinque præceptis obligantibus ad mortale nulla consuetudo potest rationabiliter præsumi introducta animo se obligandi ad mortale:

2870 Hinc ipse Melphi *in Com. cap. 2. stat. 71. qu. 1.* plures refert consuetudines in nostro Ordine, quas (ait) non debere præsumi esse introductas animo se obligandi ad mortale: & inter alia docet cum Miranda *in Reg. cap. 56. diff. 2.* & Corduba, non peccare mortaliter Fratrem Minorem dormiendo sine habitu, non obstante consuetudine in contrarium, & Statuto *cap. 2. §. 9. num. 13.* a Nicolao Tertio, & Justio Secundo confirmato: *Qui sine habitu, capuccio, chorda, & femoralibus, nisi causa habitu infirmitatis, de consilio Medici, & licentia Superioris, dormierit, coram fratribus capitulariter congregatis genuflexus, sine capuccio, in pane, & aqua jejunet.*

Quod docet iis verbis: *Facis quidem mihi maximam vim ista perpetua, & solemnis consuetudo, quam fortam tectam semper Minorica Religio conservavit. Quia tamen nolo aliorum conscientiis laqueos injicere, a quibus illos possum, & debeo extricare; Dico, hanc consuetudinem non obligare ad peccatum.*

Unde concludit, prædictam consuetudinem & relatum statutum importare debitum honestatis, minime necessitatis, videlicet peccati mortalis. Quam doctrinam firmat auctoritate Bullæ Sixti IV. ibi, & in *num. 2831.* relatæ, quæ statuit, statuta, & consuetudines nostri Ordinis, etiam auctoritate Apostolica roborata, non obligare sub culpa mortali aut censura.

(Nec valet dicere) subdit idem (quod putent se peccare mortaliter aliter operantes, quia hic timor ex ignorantia procedit, vel conscientia scrupulosa) *vide num. 486.*

Quæ omnia militant pariter in re nostra de consuetudine abstinendi a lacticiniis in jejuniis quatuor temporum.

2871 Secundo; quia in jejuniis quatuor temporum, & Vigiliarum, quæ a præcepto Ecclesiæ præseribuntur, adest consuetudo abstinendi a lacticiniis, & tamen non dicitur introducta animo se obligandi, sed ex fervore devotionis. Ita Pasqualigus, Navar. Sanch. Diana, Tambur. & innumeri alii apud Leandrum *a Sanctis. Sacram. de jejunio tr. 4. disp. 3. q. 5.* Cum autem præcepta, & jejunia Ecclesiæ, ut docet Corduba cum cæteris expositoribus, vices sectitur Longus *cap. 3. contr. 9. sect. 4. n. 1.* Idco sequitur, quod sicut consuetudo in jejuniis Vigiliarum, & quatuor temporum, non dicitur introducta animo se obligandi, sed ex fervore devotionis, idem dici debet de consuetudine jejuniorum nostræ Regulæ extra Quadragesimam.

2872 Tertio, quia etiam in Dominicis Adventus est consuetudo in nostra Religione abstinendi a lacticiniis, non minus quam diebus jejunii, & tamen nullus dicit, quod sit introducta animo se obligandi, sed ex fervore devotionis; igitur, &c.

2873 Quarto, demum constat ex verbis ipsis Bullæ Sixti IV. ubi Pontifex refert petitionem, in qua per fratres fuit expositum, quod plures erant declarationes, constitutiones, & consuetudines præter Regulam, fervore devotionis factæ, &c.

Hinc Doctores *n. 2871.* citati, & ex nostris, Villalobos, & Leander de Murcia *qu. 8. super cap. 3. Regulæ Sancti Francisci,* docent, universaliter in jejuniis extra Quadragesimam, cujusmodi sunt jejunia Adventus, & Feriæ sextæ, consuetudinem abstinendi a lacticiniis non esse introductam animo se obligandi, sed ex fervore devotionis.

2874 Et noster Portellius *verb. jejunium in addit. n. 7.* concludit; *Est probabilior opinio, neque de jure, neque de consuetudine interdici in die jejunii lacticinia extra Quadragesimam.*

2875 Quod si petas: Quomodo stante clara declaratione Sixti IV. contra consuetudines, expositores moderni *num. 2853.* citati, dicant, quod in abstinentia a lacticiniis in jejuniis extra Quadragesimam standum sit sub mortali consuetudini Regionum?

Hinc petitioni nolo ego respondere, sed solum referre responsionem, quam dat Corduba in introductione Regulæ, *q. 6. pag. mihi 53. & 34. vers. sed & notandum, quod Sixtus IV. in privil. circumspecta.* Ubi postquam refert allatam declarationem, & dispositionem Sixti IV. & alias Nicolai III. Clem. V. & Joan. XXII. hæc habet.

(Patet etiam ex dictis, quod de doctoribus aliquibus, seu expositoribus regulæ, aut de eorum dictis, non est curandum, quomodo contra aliqua contenta in prædictis tribus declaratione. Nicolai III. & Clem. V. & Joan. XXII. *Quorumdam exigit*, aliqui loquuntur: quia aliqui eorum, utpote Bonavent. Hugo, & quatuor magistri, & alii, fuerunt ante prædictas declarationes. Ideo non mirandum, si aliter aliquando loquantur, quam esset per Ecclesiam aliter dispositum, aut declaratum.

Alii autem Doctores fuerunt post prædictas declarationes, & forte ex inadvertentia sequendo priores expositores aliquando aliter loquuti sunt contra prædictas declarationes. Ideo, ut dictum est, de eis non est curandum contra prædictas declarationes, quæ habent primum locum, ut patet ex dictis hic, & in quæstione præced.

COCHOLATAM.

2876 Jejunium non frangere, absque ulla limitatione tenent Thomas Hurtad, & quamplures Doctores apud Tambur. *num. 1.* Dianam, & Leandrum citandos: quia haberi rationem potus; is accedit consuetudo, & timoratorum usus sine scrupulo.

2877 Mihi tamen valde placet sententia Leand. *de præc. Eccles. tractat. 5. disp. 5. quæst.* Dian. *part. 11. tract. 6. res. 53.* Remigii, & Escobar apud ipsos: minimum cocholatam non frangere jejunium, si id, quod est cibi, misceatur aquæ in minori quantitate, ita ut aqua prædominetur; verbi gratia, si sex unciis aquæ misceatur uncia una cum dimidio cocholatæ, & media uncia saccharii: frangere vero jejunium, si id, quod est cibi misceatur aquæ in æquali, aut majori quantitate, ita ut prædominetur cibus. Ratio non desumitur ex parvitate materiæ, alias in primo casu cocholata non posset semel sumi sine veniali, nec pluries eodem die sine mortali; ex *n. 2843.* sed ex ratione potus, & cibi; nam cocholata primo modo habet rationem potus, quia prædominatur potus, secundo modo habet rationem cibi, & comestionis, quia prædominatur cibus. Tum quia tunc valde opponitur fini præcepti, qui est maceratio carnis; nam tunc cocholata est præ cæteris cibis nutritiva, & elevativa spirituum vitalium.

2878 Idem dico de aqua dulci, vulgo Sorbetto.

2879 Prima autem opinio de cocholata ob auctoritatem extrinsecam gravissimorum Doctorum, & timoratorum consuetudinem censetur probabilis.

2880 Pinguedo, nempe fagimen, & lardum computantur inter ova, & lacticinia. Diana *p. 1. tract. 9. resol. 21.* & plures apud ipsum. Quibus accedit consuetudo Regni Siciliæ.

2881 Qui in Quadragesima comedit ova, aut lacticinia, peccat quidem, si non habeat Bullam, aut necessitatem; sed non frangit jejunium, unde tenetur ad jejunium; quia lacticinia prohibentur præcepto distincto a præcepto jejunii, ac proinde dicuntur stare cum jejunio: *vid. num. 2867.*

DIFFICULTAS EST DE CARNIBUS.

2882 *An scilicet dispensatus a carnibus sit dispensatus a jejunio?*

AFfirmant Diana *p. 1. tract. 9. res. 25.* Filliuc. Tamburr. & innumeri alii, quia non potest quis esse obligatus ad aliquid, ad cujus essentiam non obligatur; adeoque, cum abstinentia a carnibus sit de essentia jejunii, ut patet ex ejus definitione *n.* 282. sequitur, quod non obligatus ad abstinentiam a carnibus, qualis est dispensatus a carnibus, non sit obligatus ad jejunium: quam rationem insolubilem vocant.

2883 Respondeo cum distinctione, dispensatus ad carnes ob debilitatem virium, & ad eas recuperandas, est dispensatus a jejunio, minime si est dispensatus ad carnes, quia cibi jejunii sint ei nocivi. Rodriqu. *in summ. cap. 24.* Angles, Bonac. & alii.

Ratio est; quia in primo casu habetur necessitas duplicis comestionis, non sic in secundo, 2. Quia *excusans dilectis, de dolo, & consumacia*, dicitur, quod præceptum Ecclesiæ, licet non possit in totum servari, sit servandum in parte, quæ potest servari.

2884 Non obstat ratio in oppositum. 1. Ex absurdo; sequeretur enim ex illa, quod dispensatus ab unica comestione ob longum iter, esset dispensatus ab abstinentia a carnibus, quia non minus est de essentia jejunii unica comestio, quam abstinentia a carnibus. 2. Ex ratione, quia jejunium est unum per aggregationem, & præceptum dividum, includens duo præcepta distincta, unum de unica comestione, alterum de abstinentia a carnibus; unde si cessat obligatio ab uno, non cessat obligatio ab alio, nisi adsit pro utroque necessitas. Vide quæso insolubilitatem rationis oppositæ: *vid. n.* 454. 2846.

DE COLLATIONE.

2885 COllatio, seu refectiuncula vespere facienda, ex consuetudine ob virium debilitatem, & ob somnum capiendum introducta, atque a Sancta Matre Ecclesia benigne permissa.

2886 Ex consuetudine, & praxi timoratorum sumi possunt unciæ octo cibi. Angles, & Mastrius, dicunt, quantitatem remittendam esse prudentiæ particularium, juxta diversitatem complexionum. Permittuntur pro collatione fructus, legumina, & alia ex saccharo, ac melle confecta. Bonacin. cum pluribus vult, in collatione non tam intendendam esse qualitatem, quam quantitatem. Permittitur unus, vel alter piscículus parvus, & parum casei. Omnino tamen abstinendum est ab ovis; quia ova sunt valde nutritiva, & carni affinia, utpote carnis semen, adeoque collationi repugnant; unde contraria opinio est contra bonos mores, & scandalosa.

2887 In Vigilia Nativitatis Domini, & Paschatis, sumi potest collatio duplo major ratione lætitiæ. Leander *de jejun. disc. 3. quæst. 15. & 18.* Tamb. *tom. 1. p. 137. num. 7.*

2888 Quantitas cibi in collatione permissa potest permisceri cum vino.

ADDITIO.

Casus Singularis.

PRoponit doctissimus Mendo hunc casum, quem ait a nemine resolutum, quem sciret. Titius mane collationem sumit, & postea prandet post Meridiem; Vespere nihil comedit, quæritur an frangat jejunium. R. Probabile est utrumque, scilicet quod frangat, & quod non frangat. Quod frangat probatur primo quia usus Fidelium est contrarius, qui in nullo casu ita anticipare solent collationem. Secundo quia omitti hoc dubium ab omnibus Authoribus videtur ideo esse, quia supponunt absque dubio non posse fieri. Tertio, quia si anticipare collationem esset licitum quando potest pranderi, cum sumitur collatio, posset ea hora pranderi; quod est contra stylum fidelium, & contra motivum Ecclesiæ intendentis mortificari fideles non prandendo quidquam ante horam communem prandii. Quarto, quia esto videatur esse accidens in jejunio, quod hac, vel illa hora prandeatur; at accidentia, ita notabiliter mutata, in substantiam refunduntur. Sed, & oppositum probatur primo, quia si potest collatio sumi ante Meridiem, & in nocte pranderi, quin frangatur jejunium, cur non possit collatio anticipari? Siquidem essentia jejunii conservatur. Secundo, quia cum sit tollerata collatio in subsidium naturæ, nulla lex prohibet, eam sumi hac, vel illa hora. Etenim vel collatio sumitur, ut possit somnus capi, vel in levamen naturæ. Non primum, cum possit multo ante somnum collatio sumi. Ver. gr. si quis vivens inverso ordine, secunda hora, aut tertia post mediam noctem pergit in lectum capturus somnum, collatio ea hora sumpta parum juvabit. Secundum vero jam suum sortitur effectum, siquidem natura subsidium habet in ea collatione; demum essentia, ac substantia Jejunii servatur; mutatio autem accidentis horæ in sumptione collationis nihil de substantia detrahit. Unde in dubio non tractato fundamenta probabilitatem adstruunt; mihi vero primus omnino placet sensus, nisi gravis necessitas ita cogeret ordinem invertere jejunii Ecclesiastici.

QUÆRES,

2889 *An possit quis quantitatem permissam, nempe uncias octo panis in aqua, aut alio liquore non vesito coctam pro collatione sumere?*

NEgat Filiuc. *tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 2. n. 31.* quia coctio notabiliter transmutat aquam, ut ex illa & pane tut unus cibus solidus, adeoque aqua haud amplius retinet rationem potus, sed cibi, quod non facit pura missio panis cum vino sine coctione.

Affirmant Diana *part. 9. tract. 6. resol. 29.* Leander *de jejun. tract. 5. disp. 4. quæst. 35.* & plures apud illos: quia aqua etiam poit coctionem cum pane semper remanet liquor, & vehiculum alimenti. Tum quia non auget substantiam cibi in ordine ad nutritionem, quod in refectiuncula attenditur; adeoque sicut possunt pro refectione sumi scorsim, ita simul post coctionem.

Escobar cum aliis media via incedens, concedit, posse licite pro refectione sumi ex pane cocto uncias duodecim, quia ille excessus ponderis, cum proveniat ex aqua, est exiguus nutrimenti. Quæ opinio magis mihi placet, quam quæ absolute affirmat, quia ut ait Tamb. *tom. 1. lib. 4. cap. 5. §. 3. num. 2.* tota quantitas panis cocta cum aqua, licet non plene nutriat, plene faciat: quod etiam in refectiuncula attenditur.

CAUSÆ EXCUSANTES

2890 A Jejunio sunt; *Impotentia, Labor, & Pietas*, Ob *impotentiam*, quis excusatur, quoties ex jejunio adest periculum notabilis damni. Hinc excusantur. 1. *Juvenes*, qui 21. ætatis annum non compleverunt, quia ratione incrementi, majori indigent alimento; qui tamen eorum curam habent, curare debent, ut in Quadragesima jejunent ter, aut bis in hebdomada: idque ex consilio, ut ad jejunium instruantur; ad abstinentiam vero a carnibus obligantur omnes post annum septimum.

2891 2. Excusantur *Sexagenarii* incœpto anno sexagesimo, licet appareant robusti: quia tunc in re vires declinant, quoniam *senectus ipsa est morbus*. Tenentur vero abstinere a carnibus.

2892 *Religiosi Franciscani* obligantur sub mortali a die

die professionis, etiam ante annum 21. ad jejunia Regulæ, nempe Adventus, Quadragesimæ, & Feriæ 6. minime ad jejunia vigilarum, & quatuor temporum, quia de his Regula non loquitur. *Sexagenarii* vero ab omnibus jejuniis excusantur. Ratio est, quia pro juvenibus magis habet locum pietas, & privilegium, cui per professionem voluntarie cesserunt; pro senibus vero magis, & totaliter habet locum necessitas. Idem die de jejunio perpetuo ex voto; quia licet votum obliger secundum intentionem voventis, per accidens deobligari potest vovens ratione necessitatis, & incapacitatis subjecti. Leander *de jejun.* Port. *vers. jejun. num. 5.*

2893 3. *Pauperes*, qui non habent sufficientem cibum pro justa refectione; vel quia alium cibum non habent, nisi vetitum, nempe carnes aut ova: quia *benigna Mater Ecclesia non intendit tota die ad panem, & aquam, & pauca legumina illos adstringere, aut alimentum virium sustentandis necessarium subtrahere*: Arfidekin ex Diana.

2894 4. *Infirmi, convalescentes, prægnantes, lactantes, & alii, qui ad necessarias vires majori indigent alimento. Qui ex stomachi vacuitate patiuntur capitis dolorem, aut vertiginem. Item qui nocte dormire, aut calefieri nequeunt: qui tamen si possunt, tenentur incommodo obviare, faciendo collationem mane, & comestionem vespere*: ita Arfidekin. Sed non possunt comedere carnes.

2895 *Labor* excusat, non omnis, sed si sit talis, ut judicio prudenti sit incompatibilis cum jejunio: aliquin non aderit necessitas; & a jejunio non excusat, nisi necessitas.

2896 Hinc excusantur Fabri Ferrarii, Cæmentarii, Lignarii, Fossores, & similes exercentes artes laboriosas. Non excusantur autem exercentes artes sedentarias, aut quæ non tantam corporis agitationem requirunt, ut jejunio resistere non valeant: hujusmodi sunt *Sartores, Sutores, Pistores*, & similes; *vid. propos. 30.* ab Alex. VII.

2897 Leander *de jejun. dis. 8. q. 154. 155. & 156.* cum aliis docet, defatigatum ex labore voluntarie assumpto; v. gr. lusu pilæ, vel etiam ob inhonestum finem, quia v. gr. pluries rem habuit cum mulière, cum prævisione futuræ impotentiæ ad jejunandum, nedum non teneri ad jejunium, sed neque peccasse in causa contra præceptum jejunii. Immo Arfidekin *to. 2. pag. 313.* citans pro se Dianam *part. 1. tract. 9. res. 42.* id tenet etiamsi defatigatio fuerit facta in fraudem jejunii; quia ille intendit solum se ponere in statu, qui est extra obligationem jejunii. Quod confirmat ex eo, quod ad evitandum jejunium, aut auditionem Sacri, potest quis transire ad alium locum, ubi jejunium non obligat, aut festum non celebratur.

2898 Hæc autem opinio semper mihi visa est nimis laxa; quia præceptum, quod formaliter præcipit, aut prohibet aliquem actum pro certo tempore, virtualiter prohibet pro eo tempore omnia opera incompossibilia cum impletione præcepti. Ac proinde

2399 Dico; quando defatigatio, v. gr. lusus pilæ, est assumpta tempore remoto a die præcepti jejunii, nec teneris ad jejunium, nec peccas in causa: quando vero est assumpta tempore proximo diei præcepti, non teneris ad jejunium, nec peccas non jejunando, quia es factus impotens; peccasti tamen in causa contra præceptum jejunii: quia præceptum jejunii est moraliter præsens, adeoque virtualiter obligat ad non ponenda, sed vitanda impedimenta, a quibus commode abstinere potes: multo magis si defatigatio est assumpta eodem die præcepti: non sic in primo casu, quia præceptum non est moraliter præsens, sed remotum: *v. num.* 2804.

2900 Quod si non esset verum, sequeretur, quod si quis tempore, quo præceptum auditionis Sacri est præsens, assumeret opus incompatibile, a quo commode abstinere posset, omissio Sacri non esset peccatum, nec in se, nec in causa, ob eamdem rationem.

2901 *Exemplificatur assertio*: si die Veneris & secundum alios die Sabbati egrediaris ad venandum in nemore valde ab Urbe remoto, ubi opportunitas audiendi Sacrum non adest, ac inde prævideas futuram omissionem Sacri die Dominico, non erit reus omissionis Sacri, & peccati, non quidem in ipsa omissione, quia die festo reperiris impotens; neque in causa, quia tunc non obligabat præceptum ad non ponendam causam impeditivam, non enim erat actu, aut moraliter præsens, & sic non urgebat de proximo. Si vero egrediaris fero Sabbati, aut aliquibus horis ante mediam noctem Dominicæ, reus eris peccati omissionis Sacri in causa, quia judicio prudenti, cum non censeatur moralis distantia a die Dominico, præceptum audiendi Sacrum tunc censetur moraliter præsens, & consequenter de proximo urgens ad non ponendam causam omissionis futuræ de proximo, Tambur. *tom. 1. lib. 4. cap. 2. §. 5.*

2902 Hæc dicta sunt de operibus, a quibus commode abstinere possumus: nam ut rite Cajet. docet, *non tenetur quis ob præceptum jejunii omittere opus, ad quod incumbit obligatio saltem notabilis.*

2903 Quantum ad *advenas, & viatores*, dico eos non teneri legibus, & consuetudinibus particularium locorum, nec inde ad jejunia locorum, per quæ transeunt, non animo ibi habitandi majori parte anni, nisi adsit scandalum, aut nisi sint universalia, *ut a n. 162. ad 164. v. in 2. tom. num. 206.* & supposito, quod sint veri viatores; a peccato enim in causa eos non excuso, si id faciant in fraudem præcepti, ut illud declinent, ut in simili dixi *in tom. 2. n. 212.* posset enim quis volens a jejunio se liberare die 23. Julii, quo Panormi sit jejunium D. Jacobi, accedere Montemregalem, & non jejunare, quia ibi non fit jejunium eo die, & ipse est advena; sequenti vero, quo ibi jejunatur, redire Panormum, nec jejunare, quia hic ratione festi non jejunatur eo die: quis autem major dolus, & colludio præcepti?

2904 Et quamvis Diana *part. 1. tract 9. res. 19. & tract. 10. res. 14.* & plures Doctores, quos refert Tambur. *tom. 1. lib. 4. cap.... §. 2. num. 12.* id teneant, dicentes, quod non peccet quis, si, nedum die antecedenti, sed etiam si eodem mane jejunii, aut festi, a loco jejunii, aut festi ad alium se transferat, etiam ex industria, ut a jejunio, aut auditione Sacri, & ab abstinentia a servilibus se liberet; hac ducti ratione, quia obligatio jejunii extenditur ad totum diem, & obligatio auditionis usque ad meridiem, & usque ad meridiem potest differri; ac proinde intra illud tempus possit quis uti jure suo, & ad alium locum pergere, ubi non est obligatio, & sic ab ea se liberare.

2905 Nullo pacto volo huic opinioni adhærere, sed cum peccare affirmo cum Rodriqu. *in summ. tom. 2. cap. 219. num. 2.* Ledesm. Emman. Sa, Fernandez, & alii apud Dian. & Tambur. *cit.*

Mea resolutio maxime firmatur paritate de absolutione a casibus reservatis, desumpta ex Bulla Clem. X. *Suprema*, de anno 1670. *ubi in §. 6. decernitur*.

(Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse.)

Ubi industria accessus ad alienam Diœcesim, ob finem absolutionis a reservatis, dicitur fraus; ita in re nostra. Unde

2906 Ratio intrinseca est; quia licet quantum est ex se quis possit uti jure suo, & sic v. gr. uno die accedere Panormo Montemregalem, altero die Montemregali redire Panormum; nemo tamen habet jus utendi actu in fraudem legis, quia jus nostrum est subordina-

dinatum legi, *ex num. 42.* Et ex jure, ex dictis supra *num. 754. fraus nemini patrocinatur.*

Unde, cum eo die urgeat Panormi præceptum commune de jejunio Vigiliæ Apostoli, non potest quis uti jure accedendi ad Montemregalem, & inde die sequenti, quo urget ibi, recedendi ex industria, quod idem est ac in fraudem jejunii; quia jus hominis debet cedere legi.

2907 Opinioni Dianæ adhæreo, si talis accessus, & reditus fiat ex vera causa, ut sequitur ex eadem paritate, ex Bulla Clem. X. desumpta: *v. n. 163. & 164.*

2908 Excusantur a jejunio *itinerantes*, pedester per majorem diei partem, seu per duodecim milliaria, Diana *in summa verb. jejun. num. 32.* Non excusantur, si equitando consuetum unius diei iter conficiant: bene vero, si negotio coacti valde excedens iter conficiant, aut si per plures dies continuatos equitent, ut inde prævideant vires debilitandas, Leander *de jejun. disp. 8. q. 101. v. Propos. 31.* ab Alexandro VII. *damn.*

2909 *Pietas* tandem excusat, quoties opera pietatis, & misericordiæ, tam corporalis quam spiritualis, cum jejunio sine gravi incommodo perfici non possunt. Hinc excusantur *Concionatores* Quadragesimæ; minime qui in solis Dominicis concionantur, nisi sint valde debiles. *Lectores, & Præceptores*, quorum labor est nimius, aut complexio debilior. *Confessarii* debiles, & suo muneri assidui. *Cantores*, qui ex officio canendi vivunt, & jejunando redderentur inhabiles. His Sanchez concedit in Quadragesima ova ad vocem servandam. *Scribæ*, qui tota die ex officio scribunt; qui tamen debent suas vires consulere, an vigeant.

2910 Cæterum tam cum præfatis, quam in dubiis, omnes tollit scrupulos Superioris dispensatio: *v. n. 232.*

Scotus *in 4. distinct. 8. quæst. 3. litt. B.* Mastrius *in Theolog. Moral. disputat. 12. quæst. 5.* Joan. la Crux *pag. 61.* Bonacin. *tom. 2. pag. 403.* Tambur. *tom. 1. a pag. 133.* Leander *de Præcept. Eccles. tract. 5.* Busemb. *lib. 3. tract. 6. cap. 3.* Fenech. Clericatus *cap. 110.* Mendo *ver. jejunium.*

ADDITIO.

Juvat hic integras dare tres Benedicti XIV. super jejunio constitutiones, quæ sunt sequentes.

BENEDICTI XIV.

EPISTOLA ENCYCLICA I.
super jejunio.

Venerabiles Fratres Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Non ambigimus, Venerabiles Fratres, quin universis Catholicæ Religionis Cultoribus notum sit, a tota per Christianum Orbem Ecclesia inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri Quadradesimale Jejunium; quod olim in Lege & Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini Nostri Jesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a Sacris Canonibus ubique præscriptum, & ab universali Ecclesia ab ipso sui primordio retentum, & observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ constituto remedio, per consortium Crucis Christi nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos præstitit, agimus; simulque ad recolenda sacratiora Redemptionis nostræ mysteria, quæ Dominicæ passionis, ac Resurrectionis memoriam, Quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur, purificatis Jejunio corporibus, & animis dignius paramur. Hoc veluti nostræ militiæ tessera ab inimicis Crucis Christi secernimur, flagella divinæ ultionis avertimus, & cœlesti præsidio in dies adversus Principes tenebrarum munimur. Hoc despectui habito non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum, non leve catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus Christifidelium periculum oboritur. Nec aliunde populus calamitates, rebusque publicis, & privatis cladem exitiumque importatum esse constat. Ab hac vero insita inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de sacratissima Quadragesima, aliisque diebus jejunio consecratis persuasione, & reverentia quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna Jejunantium consuetudo, quantum ab ipsa Jejuniorum institutione, & servata semper, ubique, & ab omnibus disciplina quam longissime distet; Vos, venerabiles Fratres, qui populorum curæ vestræ commissorum mores, & usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra præ cæteris clarius intelligitis. Nos sane, quibus in hac sublimi Apostolicæ procurationis specula constitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis deplorare non possumus, augustissimam Quadragesimalis Jejunii observantiam ob nimiam nullis legitimis urgentibus causis ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem plane sublatam esse, ita ut Orthodoxæ quidem Religionis Cultores merito querantur; hæresum vero Sectatores illudant, & exultent. *Perniciosæ huic corruptelæ plurimorum insuper licentiam adjunctam esse graviter dolemus; quæ usque adeo invaluit, ut nulla Apostolici Instituti sacratissimique præcepti habita ratione, Jejuniorum tempore palam & impune ab iisdem agitentur Convivia & Epulæ interdictæ promiscue inferantur.* Ea propter quemadmodum quibus curis, sollicitudinibus, & angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus Vestris communicamus; ita facere non possumus, quin pro injuncto Nobis supremo sacrosancti Apostolatus officio, & ardentissimum Fraternitatum Vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, & ad congruentes hujusmodi abusibus penitus extirpandis leges præscribendas meditemur. Interea, Venerabiles Fratres gaudium & corona nostra, nobiscum considerantes, nihil Deo acceptius, nihil pastorali ministerio nostro dignius, nihil gregibus curæ nostræ commissis utilius, quam ut verbo, & exemplo præeuntes, Christifideles ad tam salutarem Christianæ pœnitentiæ, & pietatis exercitationem alacrius suspiciendam, & constantissime retinendam, & ea, qua instituta fuit, disciplina peragendam vehementius inflammemus; omni opera atque industria studeamus, ut infideles populi in conspectu Dei per austeriorem jejuniorum observantiam tales permaneant, quales in ipso Paschali festo dignum est inveniri. *Debitum igitur paternæ uniuscujusque Vestrum sedulitatis & charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis & annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, & de utriusque Medici consilio; multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integræ, nonnisi gravissima & urgente necessitate, & in casibus per sacra Canonum statuta præscriptis cum debita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadradesimali Jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe & arroganter ab Ecclesia sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam Gravissimam vero urgentemque necessitatem, etsi non est, cur Vobis explicemus; nolumus tamen Vos ignorare, cum hujusmodi necessitate & servandam esse potissimum Unicam Comestionem, sicut alias hic Romæ, ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, expresse præscripsimus, & licitas atque interdictas Epulas promiscue minime apponendas esse.* Porro quemadmodum de ejusmodi Indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, Nos persuasum habemus, districtam supremo Divino Judici redditum iri rationem, ita conscientiam uniuscujusque Vestrum onerandam esse ducimus. Insimul Fraternitates Vestras rogamus, & in Domino exortantes, obsecramus, ut populos, qui communem omnium Christifidelium pœnitentiam, ac disciplinam

nam servare nequeant, commonere satagatis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, & Deo satisfacere negligant; quinimo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, & eleemosynæ munera redimant. Interim solatium & levamen non leve mœrori nostro a pastorali vigilantia, & charitate vestra præstolantes, ac certo Nobis pollicentes; Apostolicam benedictionem cum uberi cœlestium charismatum copia conjunctam in eosdem populos vestros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die trigesima mensis Maji millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri Anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

EPISTOLA ENCYCLICA II.

Super eodem Jejunio.

In suprema Universalis Ecclesiæ procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, ut Orthodoxæ Fidei assertores, sic etiam Ecclesiasticæ disciplinæ custodes ac vindices constituti, Quadragesimale præsertim Jejunium, quod inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita semper, & ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum esse nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna Jejunantium corruptela vindicare, & in pristinam, quantum, benedicente Domino, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis literas ad Fraternitates vestras die XXX. proxime elapsi mensis Maji currentis anni datas eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte & optatum Apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus levamen, & salutare abolendæ sacratissimi Jejunii corruptelæ remedium deesset. Quoniam autem paternæ Pontificiæ charitatis, quæ novit imbecillitates infirmorum substinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a Jejunio aliquando legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente dispensandum esse ex Apostolica benignitate censuimus, ita inter cetera præscripsimus Unicam Comestionem servandam, & licitas atque interdictas Epulas minime esse apponendas. *Hinc factum esse accepimus, quod non defuerint, qui per humanas, & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes sibi aliisque persuadeant, Unicam potissimum Comestionem servari, atque Epulas licitas, & interdictas minime apponi debere; cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam, ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni Temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, Unicam Comestionem servandam, & licitas atque interdictas Epulas minime esse apponendas tenore præsentium declaramus, & edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis literas singulis utriusque sexus Christifidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxi reperiuntur, in sacratissima Quadragesima aliisque Jejunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse præscribimus atque præcipimus.* Ea propter Fraternitates vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestræ curæ commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi Jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulo ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam de observando substinendoque Jejunio purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt condignæ passiones hujus temporis; imo leve ac momentaneum non tribulationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ incommodum magnum gloriæ pondus operatur in Cælis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles ac delicatos christianæ militiæ milites refugientes a consortio Crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare præcipit incorruptam, ad cujus auspicium, & pignus Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem iisdem etiam populis vestris nostro nomine impertiendam peramanter elargimur. Volumus autem, ut præsentium transumtis sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda mensis Augusti millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno secundo.

EPISTOLA ENCYCLICA III.

Super eodem Jejunio.

Libentissime quidem amplectimur, quæ Nobis offeruntur, occasiones ad vestros animos excitandos, ut Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ sedulam curam conferatis. Etenim Summi Pontificatus dignitati, ad quam Nos, licet immerentes, evecti fuimus, conjunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum Ecclesiarum, Nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Cum itaque præsentium literarum argumentum totum sit de Jejunio, quod tempore Quadragesimæ, veteri Ecclesiæ instituto, ac lege Fidelibus indicitur; supervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadragesimæ institutione, & Patrum, & Conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem Nobis parum videretur, sed potius alienum, & nullo modo consentaneum Vobis; quos doctrinæ laude, Canonum, & sacræ historiæ cognitione præstantes arbitramur. Porro ad scribendas has literas adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ *sess. 25. de Reformat.* præcipit Episcopis omne studium impendere, ut Fideles ipsorum curæ traditi magna religione perficiant ea, quæ a Sacris Canonibus præscribuntur: *Ut illis omnibus, & iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia.*

Ubi primum Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel.

ccord. ab Sede Anconitana translati fuimus): Mandatum evulgavimus (quod Libro primo Institutionum Nostrarum pro viris Ecclesiasticis decimoquinto loco continetur). In illo plures difficultates indicavimus ob quas minime solvendos Jejunii legibus putabamus, illos, qui ob legitimam causam, & legitima prius auctoritate interposita, Quadragesimæ abstinentiam non observarent; minime, inquam, solvendos a Jejunio, ita ut liceret ipsis quolibet die mensam bis instituere, non unica vice, vespertina superaddita Refectione, quæ permitti jejunantibus consuevit. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, & præstantissimis quoque Viris demandavimus ipsam diligenter, accurateque perpendere, ac suas deinde opiniones Nobis exponere. His peractis, hujusmodi controversiæ finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ulla in posterum, sive peculiaris, sive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore Jejunii, vel Quadragesimæ, nisi conditio servandi Jejunii, sive unius comestionis interponatur; & illud quoque monitum addatur nequaquam licere mensam eandem carne, ac piscibus instruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quæstionibus; existimavimus unicam singulis diebus comestionem inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum Jejunium indicitur, rite obtinuerunt; & pravam illam consuetudinem, quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi Quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fuerunt, ob eam potissimum causam, quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

Hæc apertissime constant ex nostris Apostolicis Literis, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Episcopos Orbis Catholici anno 1741. quarum primæ incipiunt, *Non ambigimus*, alteræ vero, *In suprema*. Nos profecto nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus Quadragesimæ, sive aliud Jejunium præcipitur, nisi indicta, scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percepimus, cum redditæ Nobis fuerunt plures Epistolæ, ac mandata vestra Literis nostris Apostolicis omnino consentanea, quibus pro virili parte contendistis adducere Populos Vobis subjectos, ut propositam in illis disciplinam pie servarent.

Interim promulgatis iisdem Apostolicis Literis, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ sunt a nonnullis, uti Nos antea facili conjectura suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ Nobis fuerunt, exigui quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum Nos opinamur; cum illæ vel ipsis Legis verbis, vel sensu penitus corruant, ac dissolvantur. Attamen Sacro Tribunali Nostræ Pœnitentiariæ rerum hujusmodi conscio, ac peritissimo, easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plene, cumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiepiscopus Compostellæ, in Hispaniarum Regnis primus Inquisitor, nuperrime vita functus longam ad Nos dedit Epistolam, qua plures recensebat difficultates, quæ Literis Nostris Apostolicis adversabantur, quominus executioni mandarentur, eo quod nonnulli Theologi in diversas opiniones, ac sententias abirent in solvendis quibusdam quæstionibus, quibus Literæ Nostræ Apostolicæ causam, & occasionem præbebant; ac proinde de illis judicium Nostrum exquirebat. Equidem Archiepiscopi Literæ Nos gravissimis, ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæstiones in ipsis expositas percurrimus, visum Nobis est non quidem expeti, ut iis quæstionibus responsum fieret, ipsisque solutis nullum impedimentum, sive obstaculum Nostris Literis Apostolicis superesset, sed potius ut objectis cavillationibus ad optatum finem ipsæ minime adducerentur. Accedit etiam, quod Epistola Archiepiscopi multis argumentationibus, & obscuris vocibus redundabat: quamobrem, licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiscopo responsum redderemus; illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex ejus literis delibantes, & quæstiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum Nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tarde ipsi responsum daremus: ejus studium commendavimus, & etiam magnopere probavimus, quod anceps, ac dubius ad hanc Sanctam Sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deinde prolatis quæstionibus satisfacere non prætermisimus, illum tamen monentes de Instituto Summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas objiciunt, ut quæ constituta sunt, perturbent, ac evertant.

Vix redditis Literis, Archiepiscopus paulo post vitæ cursum absolvit: Itaque non immerito suspicamur, responsa Nostra, quæ Literis continebantur, haud cognita fuisse, & perspecta illis, qui quæstiones excitaverunt. Post hæc alii pariter ex Hispanis Episcopis nonnullas ex iisdem quæstionibus Nobis proposuerunt; quare iisdem responsis usi sumus, quæ tradita prius Archiepiscopo Compostellæ a Nobis fuerant. Non defuerunt etiam præstantes inter Italos Theologi, qui Literas Nostras Apostolicas datas anno 1741. egregiis commentariis illustrarunt: idem contigit Responso, quod fecimus Archiepiscopo Compostellæ *die 8. Julii anno* 1744. quod sane integrum suis Libris præfigendum curaverunt. At quoniam Libri ejusmodi ad Vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his Literis Encyclicis adjungimus illas pariter, quas (uti dictum sæpius est) ad Archiepiscopum Compostellæ jam pridem scripsimus, ut quæ disciplina Vestris in Diœcesibus tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne Vos deterreant difficultates, si quæ a captiosis hominibus concitentur.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Compostellæ

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SI Fraternitas Tua secum reputabit, quot gravissimis, & maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc præsertim difficillimo tempore, prorsus Nos teneat imposita tenuitati Nostræ sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sane mirabitur, tamdiu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas Literas, quibus Apostolica auctoritate dissolvendas rogasti obortas in Hispania disputationes aliquas e duabus nostris Epistolis ad omnes Episcopos superioris anni 1741. 30. Maji, & 22. Augusti, quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem Ecclesiastici Jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde Nos, immensa licet rerum mole fatigatos, ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem nostram præsto habet. Quamquam igitur dum prænuntiatas Constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrenare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent; nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quidquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a Nobis jejunandi regula: tamen eximia Paterna charitate complectimur adeo observantissimos Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestræ libenter adjecerimus animum, & Nos ipsi quæstiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.

I. Utrum, quæ in antedictis Nostris Literis in forma Brevis de unica comestione, & de epulis non permiscendis præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?

Respodemus: *Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eos vero qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.*

II. An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula eti quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?

Respondemus: *Non licere, sed opus habere, eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.*

III. An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica commessatione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant? Edicimus, *observandam iis esse.*

IV. Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?

Respondemus: *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.*

V. An præceptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque Dominicos Quadragesimales complectatur? Affirmatur, *complecti.*

VI. Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticinia?

Rescribimus: *Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis Literis statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte, & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præscriptis ibi Legibus.*

VII. Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?

Respondetur: *Urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum: illud scilicet unicæ comestionis cum reliquis Legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responso expressis: & alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.*

Habeas, Venerabilis Frater, penitus explicatum quidquid apud Vos ex nostris sæpius nuncupatis Apostolicis Literis dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandæ supremæ Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere Pastores queant: in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam religionem, nihil sibi tutum, nisi e Divi Petri Cathedra acceptum reputantem; qua splendidissima gloria tantum nomen, & incorruptæ Fidei fructum Hispania sibi peperit. Cavendum autem Vobis est (Idque plurimum ad te pertinet, qui illustris Archiepiscopi, & inquisitoris geris præcipuum munus) ne in expendendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti sollicitudine nullus fiat differendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quæ facile, pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi: præsertim cum Constitutiones ipsæ Apostolicæ scopum, quo tendunt, aperte demonstrent, & illuc prompte dirigi possit quidquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent qui de præsenti negotio plura dubitarunt, nodum sibi exsolvissent. Patebat enim, nihil nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium sani jejunii fines prætergressi, & non parum obliti, illud ad retinendum in officio corpus divinitus institutum, hosti huic spiritus infensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent quid in propositis quæstionibus constituendum esset, nec sibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravissime undique circumstant curæ, non parum temporis occupassent, quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem studio, atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum; in posterum simul præcaventes, quomodo in hujusmodi quæstionibus firmare gestus vestros in promptu sit. Reliquum est, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolentiæ nostræ pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertiamur. Datum &c. 8. Julii 1744.

Cum hæc ita se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur, ne illi (quibus licet carnes edere) cum Jejunium tempore Quadragesimæ, vel extra Quadragesimam Fidelibus præscribitur, unius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul, & carnibus parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perscrutentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc supersunt, quæ remedium a Nobis deposcunt.

Siquidem advertimus jam multis ab hinc annis non solum plures in qualibet Italiæ Urbe vestra auctoritate dissolvi a quadragesimali abstinentia, sed etiam magno studio contenditis, ut universam Civitatem, totamque Diœcesim eadem abstinentia liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam Civitatibus, ac Diœcesibus jam per multos annos Fideles universi absque ullo discrimine carnibus per Quadragesimam utantur. Id quidem maximam nobis affert sollicitudinem, eo quod deprehedimus certis Testimoniis in quibusdam Regionibus Septemtrionis toto Quadragesimæ cursu lactis, & ovorum usum libere permitti, quia per plures annos eandem facultatem petierint, & ab Sede Apostolica consecuti fuerint: quamobrem illi Populi sibi in animum induxeruut, non esse rursus ad Pontificem confugiendum pro hujusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere, ut lactis, & ovorum consuetudo per Quadragesimam comprobetur. Præterea maximi facienda esse ducimus ea verba *Trident. Concil. Sess. 25. c. 18. de Reform. Sicuti publice expedit, Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius Legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire.*

In Literis Nostris Apostolicis, quas *anno* 1741. ad omnes Catholicos Episcopos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratione, illisque verbis, rursum hic subjicimus: *Debitum igitur Paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis, & charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, & annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, & de utriusque Medici consilio, multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiscriminatim integra, nonnisi gravissima, & urgente necessitate, & in casibus per Sacra Canonum Statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadragesimali Jejunio dispensationem, toties quoties opus fuerit concedendam, nec audacter, fidenterque usurpandam, nec superbe, & arroganter ab Ecclesia, sicut alibi in more positum esse accipimus, esse postulandam.*

Porro Nos hanc normam secuti sumus, cum multitudinem, veluti Populum, aut Civitatem integram Quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis loci Episcopus id postulare a Nobis debuit, ac de gravissima, urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minime permis-

ſæ fuerunt, ſi lactis, & ovorum uſus ſatis eſſe videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui ſolum conſuevit, cum interpoſito Epiſcopi teſtimonio id omnino neceſſarium judicaretur; nec ſufficiens neceſſitati remedium afferri conſtaret, ſi ova ſolum, & lacticinia concederentur. Quoties autem abſtinentia Quadrageſimæ noſtra auctoritate ſoluta fuit, certos tamen dies præſcripſimus, quibus integra abſtinentia ſervaretur, nempe diem Cinerum, dies quatuor temporum, vigilias præcepto obeundas, dies Majoris Hebdomadæ a Dominica Palmarum. Quandoque recenſuimus etiam totam hebdomadam Cinerum: aliquando etiam indiximus abſtinentiam Feriis ſextis, ac Sabbatis, etiamſi facultas a Nobis tradita lactis, & ovorum uſum ſolum complecteretur. Poſtremo eam conditionem ſemper addidimus, ne jejunii lex, unius per diem comeſtionis ullo modo violaretur, ac ne ſimul in menſa carnes, & piſces apponerentur.

Dum rationem hujus conſilii Noſtri ſerio perpendimus, haud plene acquieſcimus, ob eam ſollicitudinem, ac dubitationem, ne cauſa ab Epiſcopo loci prolata, quam Nos legitimam credidimus ad ſolvendam Quadrageſimæ abſtinentiam, ejus naturæ fortaſſe non ſit, quæ veram, & urgentem neceſſitatem contineat. Quippe illud Nobis ſemper ante oculos propoſitum habuimus, ut nihil inconſulto, ac temere faciamus. Hærent pariter animo defixa Sancti Bernardi verba ad Pontificem Eugenium *lib. 3. de Conſideratione cap. 4. Facitis hoc, quia poteſtis: Sed utrum debeatis, quæſtio eſt, & quando*: attamen fidem præſtitimus iis, quibus præſtanda fuerat, Epiſcopis nempe locorum. Non enim alio pacto exerceri poteſt ſollicitudo peculiarium Eccleſiarum, ac Diœceſum, niſi fides habeatur Epiſcopis, a quibus illæ adminiſtrantur. Sed in poſterum, ut graviſſimum hoc negotium tutius, quam fieri poſſit, geratur, moleſtum vobis non ſit, animum iis advertere, quæ ſubjicimus.

Non ignoratis ab Innocentio III. Prædeceſſore Noſtro *Cap. Conſilium, de obſervatione Jejuniorum*, inter cauſas legitimas ſolvendi abſtinentiam a Carnibus jejunii tempore, recenſeri veram, & exiſtentem reipſa ægritudinem: *Præterea de illis, qui in Quadrageſima, vel in aliis jejuniis ſolemnibus infirmantur, & petunt ſibi eſum carnium indulgeri, reſpondemus: quod, cum non ſubjaceat legi neceſſitas, deſiderium infirmorum, cum urgens neceſſitas exigit, ſupportare potes, & debes, ut majus periculum in eis evitetur*. Item ſtatueſant multo ante Innocentium III. Patres octavi Concilii Toletani *Can. 9.* quod anno 653. celebratum fuit: *Quiſquis abſque inevitabili neceſſitate, atque fragilitatis evidentis languore, ſeu etiam ætatis impoſſibilitate, diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolum erit reus Reſurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejuſdem diei Sancta Communione.... Illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, non ante prohibita violare præſumant, quam a Sacerdote permiſſum accipiant.*

Nemo eſt, qui non intelligat hujuſmodi cauſas ſatis eſſe, ut aliqui a Jejunii legibus, & abſtinentia immunes exiſtimentur; non autem, ut Populus, vel integra Civitas idem privilegium obtineat. Quis enim ſibi perſuadere poſſit, Cives univerſos alicujus Urbis, vel Diœceſis eodem tempore graviſſimo morbo teneri, vel in eodem diſcrimine verſari omnes, ut periculoſam ægritudinem contrahant? Niſi forte eos morbos intelligamus, qui ab aeris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paulo poſt verba faciemus. Quis credat unquam Populum univerſum alicujus Diœceſis, vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema ſenectute confectum?

Neque vero cauſa ſufficiens habenda eſt, ut aliqua Civitas, vel Populus abſtinentia Quadrageſimali liberetur, ipſique Carnes permittantur, ſi forte piſces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam opulentos; e quibus etiam alii vitæ ſuſtentationem labore, ac ſudore ſibi comparant, alii vero patrimonio, ac divitiis ſatis ſuperque abundant. Itaque, ſi pro emendis piſcibus grave pretium ſolvendum ſit, id quidem egenis Civibus, non vero divitibus ſuffragatur. Id aſſerant etiam nonnulli Theologi haud ſeverioris diſciplinæ, quorum ſententiam recenſuimus Capite nono libri tertii Noſtrarum Inſtitutionum, quas Bononiæ Typis impreſſimus.

Illud etiam inane commentum prorſus exiſtimari debet, ſolvendas eſſe abſtinentia Quadrageſimæ Civitates, vel Diœceſes, ubi exercitus verſantur, eo quod Milites in iis locis permanentes abſtinentiæ leges minime obſervant. Id potius animos Civium inflammare deberet ad jejunium rite, religioſeque ſuſcipiendum, ut nempe Milites tanta virtute temperantiæ permoti ipſorum exemplum ſequantur. Illud ſolum, pro legitima cauſa in medium proferri poteſt, Copias Militum tantam afferre Civitati penuriam herbarum, atque olei, licet Quadrageſimæ Jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia ſummopere augeantur. Tunc autem eadem ſtatuenda ſunt, quæ paulo ante diximus, cum piſces, & ova cariori pretio comparantur. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, in poſterum pro cauſa ſolvendæ abſtinentiæ non adducantur, niſi forte Civibus univerſis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem: neque in poſterum herbarum, olei, piſcium, & ovorum pretia tanti ponderis eſſe cenſeantur, ut omnis Civitas, vel Diœceſis ab inſtituto Quadrageſimæ jejunio, ac temperantia liberari contendat. Quod ſi veras, ac legitimas a Nobis cauſas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potiſſimum percenſebimus, quarum prima ex jure canonico, altera vero ab ipſa rerum magiſtra experientia deprompta eſt.

Innocentius III. quem ſuperius nominavimus, *eodem cap. Conſilium, de obſervatione Jejuniorum*, Archiepiſcopo Bracarenſi poſtulanti, qua pœna plectendos judicaret illos, qui tempore Quadrageſimæ a Carnibus non abſtinuerant ob ſummam rerum caritatem, & anguſtiam, itaut plures fame enecarentur, reſpondit his verbis: *Cum autem quæſieris, quæ ſit illis pænitentia injungenda, qui diebus Quadrageſimalibus, tempore quo tantæ famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere ſunt coacti; reſpondemus, quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen Domino pro illis, & cum illis, effundas, ne ipſis aliquatenus imputetur, quia bonorum mentium eſt, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur.* Si quis hoc tempore Epiſcopus adductus exemplo Bracarenſis Antiſtitis idem conſilium peteret ab Sede Apoſtolica, tanquam ineptus, ac ſimplex haberetur, ſed illo Eccleſiæ feliciſſimo ſæculo maximi pendebatur, uti æquum eſt, Quadrageſimæ præceptum. Hinc magna ſeveritate inquirebantur illi, qui minime paruiſſent, licet talis cauſa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur: nec ulla ratio habebatur Virorum Principum, licet ipſorum incolumitas cum Reipublicæ felicitate conjuncta putaretur; uti Nos fuſe oſtendimus in decima quinta noſtrarum Inſtitutionum libri primi. *Sed iis omiſſis, & aliis bene multis, quæ in hanc rem congeri a nobis poſſent, illud primum delibavimus ex reſponſo Innocentii III. tunc Quadrageſimæ abſtinentia ſolvi poſſe integram Civitatem, vel Diœceſim, cum reipſa non ſuppetunt ea, ſine quibus præceptum Quadrageſimæ obſervari nequit. Itaque ſi revera in aliquo loco neque oleum, neque piſces comparari poſſint, tunc Incolis ejuſdem loci permitti fas eſt ut lacte, & ovis utantur: ſi hæc autem revera deficiant, tunc carnis, ſalubris tamen, edendæ facultas concedetur, interpoſita ſemper Jejunii ſervandi conditione.*

Inſula Sancti Dominici in America Meridionali in temporalibus paret Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Ludovico Galliarum Regi Chriſtianiſſimo, nec ei ul-

lus

lus præeſt Epiſcopus. Præfectus Patrum Societatis Jeſu anno 1742. a nobis quæſivit, an ex conceſſione ſibi facta a Sede Apoſtolica diſpenſandi ſuper eſu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore Jejuniorum, & Quadrageſimæ dici poſſet, ſibi etiam datam fuiſſe facultatem diſpenſandi nedum particulares perſonas, ſed etiam multitudinem hominum, & omnes ſui diſtrictus Incolas, quando coram Deo id expedire judicaſſet: habitoque reſponſo, facultatem ei fuiſſe conceſſam diſpenſationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, omnibus Incolis ſui diſtrictus; pro conceſſione exoravit. Pro cauſa expoſuit veneficam piſcium qualitatem, exiguum piſcatorum numerum, qui longe ab Inſula piſcantes, piſces deferebant aut fœtentes, aut corruptos ob nimios calores, paupertatem earum gentium, quæ oleum emere non poterant pro cibis Quadrageſimalibus neceſſarium, deficientiam denique olerum, & leguminum, quæ in ea Regione facile corrumpuntur, aut a vermibus conſumuntur. Re ſubinde mature diſcuſſa coram nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis *die 12. Apr. anno 1742.* habita ratione regionis nimis remotæ, a qua quolibet anno impoſſibilis erat ad Sedem Apoſtolicam recurſus, indulgentes neceſſitati Fidelium degentium in Inſulis Ditionis Gallicæ in America, facultatem conceſſimus Præfectis Miſſionum illarum partium, ut in caſu veræ, & ineluctabilis neceſſitatis, & tantum de anno in annum, præfataque vera neceſſitate durante, & non aliter, nec alio modo, ut poſſe t, & valerent cum Fidelibus Populis ipſorum regimini commiſſis diſpenſare ſuper eſu ovorum, & lacticiniorum, & etiam carnium tempore Quadrageſimali, indicta ſimul cum hujuſmodi diſpenſatione obſervantia Jejunii per unicam comeſtionem, onerataque prædictorum Præfectorum conſcientia, ſi adamuſſim juxta præſcriptum conceſſa facultate uſi non fuiſſent.

Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim ab hinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una Provincia in aliam hæc funeſta lues promanaret. Id contigit annis 1730. 1733. 1740. Licet autem morbus ejuſmodi, qui univerſos hominum ordines, atque ætates corripiebat, lentam ſolum in pectore inflammationem excitaret, tamen ſenibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem: nam ex ipſo febres acutiſſimæ, ac mortales ſequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Poſtremo multorum pectora adeo labefactavit, ut graviſſima deinde mala provenerint.

Alios quoque morbos hujus generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in diſcrimen vitæ adduxiſſe Medici Scriptores luculenter teſtantur. *Itaque, ſi Medicinæ Profeſſores acciti, monitique graviter, ut nihil a veritate alienum reſpondeant, unanimi conſenſu fateantur (uti nobis ipſis accidit, cum adhuc Bononiæ verſaremur, morbum eſſe talis naturæ, qualem ſuperius commemoravimus, ita ut nulla ætas libera, & incolumis eſſe queat, & affirment illis ipſis, qui inter Cives ſalvi, & integri numerantur, eandem perniciem imminere; id præterea conferre plurimum ad ejuſmodi luem depellendam, aut evitandam, ſi tum ægrotantes, tum ſani a piſcibus, & oleo, & quandoque pariter a lacte, & ovis abſtineant; ſi, inquam, res ita ſe habeat, tum procul dubio cauſa ſufficiens judicanda eſt, quæ experientiæ innititur, & quæ ſemper probata, & in poſterum probanda videtur, ut nempe Populus, ſeu Civitas integra a carnibus abſtinendi præcepto non teneatur.*

Neque ulla difficultas removere Vos debet a conſulendis Medicis, qui præſtantiores habeantur. *Cavendum pariter, ut quidquid revera ſenſerint, ſcripto teſtari non prætermittant; quæ conditio ſi deſit in poſterum, nulla unquam facultas Civitati, aut Diœceſi carnibus, aut lacticiniis veſcendi tempore Quadrageſimæ tribuetur: quippe id neceſſarium omnino videtur.* Accedit etiam, quod Medici facilitate quadam incredibili peculiares quidem Cives a Quadrageſimæ præcepto liberos, & immunes decernere ſoleant; (de qua re graviſſime monendi a vobis ſunt, ne ſuas animas indulgendo nimis aggravent) cum vero pro univerſis Civibus idem ſtatuendum proponitur, tum ſe difficiles, anxios, ac ſollicitos præſtare nos ipſi experti ſumus. Poſtremo ſi velint percurrere ea, quæ in Italia, & extra ipſam præclariſſimi Auctores Medici Typis evulgarunt, facile deprehendent, abſtinentiam, ciborumque parſimoniam ab illis magnopere commendari, diſcrimen inter morbos conſtitui, & certis rationibus oſtendi, in curandis quibuſdam morbis nequaquam requiri, ut juſculum, & carnes loco piſcium, olei, & herbarum ſubſtituantur; in aliis vero juvare plurimum, ſi ſublatis carnibus, cum indicitur Jejunium, oleo, vel lacte ægrotantes utantur: demum advertent, quam diligenter, accurateque ſcribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes a communi lue ſuperſunt.

Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum eſt, ut vos hortemur, ne tam facile ſuſcipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, & lacticiniis tempore Quadrageſimæ pro univerſa Civitate, vel Diœceſi. Quippe abrumpenda tandem eſt conſuetudo, ob quam jam per tot annos in quibuſdam locis hæ facultates tribui conſueverunt. Illud etiam experientia vobis compertum erit, delicatis quoque, ac mollibus abſtinentiam Quadrageſimæ nullam inferre perniciem; neque plures ob hanc cauſam inter ægrotos, vel mortuos recenſeri. Hanc rationem, & inſtitutum Nos ipſi ſecuti ſumus Romæ, ac Bononiæ (cujus Sedem adhuc retinemus) cum nuper Quadrageſimæ tempus ageretur. Si vos id quoque præſtabitis, neque facile a nobis pro univerſa Civitate, vel Diœceſi facultatem ſolvendi Quadrageſimæ abſtinentiam poſtulabitis, vel (ſi neceſſarium id arbitremini) non aliter, quam ſervatis præmiſſis conditionibus Diſpenſationis inſtantia ad nos deferretur, non ſolum ii fructus provenient, quos jam indicavimus, ſed etiam repulſæ pudorem vitabitis, noſque pariter ea moleſtia vindicabitis, quam ferimus, dum votis veſtris minime obſecundamus. Poſtremo vos omnes peramanter amplectimur, & Apoſtolicam Benedictionem vobis, Populiſque veſtris impertimur. Datum ex Arce Caſtri Gandulphi die 10. Junii 1745. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

DE III.
PRÆCEPTO
ECCLESIÆ.

Confiteri ſemel ſaltem in anno, & communicare in Paſchate.

2911 Quilibet fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſub mortali confiteri tenetur ſemel ſaltem in anno: ſufficit, ſi confiteatur in Paſchate: quod ſi tunc non faciat, debet poſtea, ut verum ſit, quod confiteatur ſemel in

anno.

anno. Item tenetur quis præcepto divino confiteri. 1. In articulo, aut periculo pr habili mortis. 2. Si prævideat posse non habiturum copiam Confessarii. 3. Si sit in mortali, & velit communicare. De quo fuse *in tom. 3. num. 279.*

Si non habeat mortale non ligatur hoc præcepto, quia non tenetur confiteri venialia; unde sufficit, si se præsentet Confessario, dicens, se non habere materiam necessariam, *vid. num. 287.*

2912 Qui solum habet Confessarium ignarum sui idiomatis, non tenetur confiteri per interpretem ad satisfaciendum præcepto; bene vero in articulo mortis, quia tunc tenetur sibi providere tutiori & meliori modo quo potest: *vid. num. 3095.*

2913 Nomine anni per Brancatum, & de Lugo, venit annus naturalis, computandus a Januario. Per Bonacinam, & Mastrum venit annus Ecclesiasticus, ab uno Pascha ad aliud.

Scotus *in 4. d. 17. lit. E. M.* Mastr. *in Theolog. Moral. d. 12. quæst. 2. art. 2.* Tamb. *in Meth. Conf.* Joan. la Crux, *pag. 392.* Busemb. *lib. 6. tract. 4. cap. 3. dub. 2.* Leander de *præcept. Eccles.*

COMMUNIO

2914 EST duplex, *Spiritualis, & Sacramentalis.* Spiritualis *est, quæ fit per votum, & desiderium efficax Eucharistiam suscipiendi. Sacramentalis est, quæ fit per realem Eucharistiæ sumptionem*, ex D. Bonavent. *in 4. d. quæst. 2.* Communio spiritualis *est manducatio spiritualis Eucharistiæ, quæ fit ore cordis per recognitationem fidei, & affectionem charitatis. Communio sacramentalis, est manducatio corporalis Eucharistiæ, quæ fit ore corporis.*

2915 Qui facit communionem spiritualem debet esse in gratia, saltem per contritionem; nam desiderare efficaciter communicare in statu peccati mortalis, est mortale. In præsenti est firmo de communione sacramentali.

2916 Hoc præcepto Ecclesiastico quilibet fidelis sub mortali tenetur ab anno saltem pubertatis Eucharistiam semel sumere in Paschate a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive in sua Parochia, aut in Cathedrali: *v. num. 187.*

2917 Qui non communicaverunt in Paschate, tenentur postea, quamprimam commode possunt, communicare eodem anno, quia tempus Paschatis non est appositum ad finiendam, sed ad fulciendam obligationem.

2918 Potest Confessarius justa de causa suo pœnitenti tempus communicandi post Pascha differre, & tunc tenetur pœnitens ex vi ejusdem juxta Confessarii dilationem communicare.

2919 Vagi, Peregrini, & Advenæ possunt ubilibet intra præfatum tempus præcepto satisfacere.

2920 Die Resurrectionis, aut Jovis sancto, possunt fideles ex devotione communicare in qualibet Ecclesia dummodo intra illud tempus unam Communionem faciant in Parochia, aut alibi de licentia Parochi. Tamb. *tom. 2. p. 430. num. 48.*

2921 Tenetur ægrotus ex præcepto divino in periculo vitæ constitutus Eucharistiam sumere per modum viatici, medicorum judicio, etiam non jejunus.

2922 In eadem infirmitate & periculo potest pluries Viaticum sumere, dummodo saltem decem, aut quindecim dies intercedant. At non potest pluries Sacramentum Extremæ Unctionis recipere, quia Eucharistia est Sacramentum refectionis, & nutritionis spiritualis, qua homo potest pluries indigere, non Unctio. Si vero infirmus convaluerit, & postea denuo infirmetur, & in alio vitæ periculo constituatur, denuo potest Extremam Unctionem recipere.

2923 Qui mane ante periculum ex devotione Communicavit, si supervenit periculum, tenetur eodem die per modum Viatici communicare, ut satisfaciat præcepto divino.

2924 Perpetuo amentibus, sicut non potest concedi communio, ita neque Viaticum. E converso semifatuis, stolidis, phreneticis, sicut potest concedi Communio, si non sit periculum vomitus, indecentiæ, aut irreverentiæ, ita debet dari Viaticum: idem die de amentibus, si inter ultimum rationis habeant.

2925 Pueris intra latitudinem decimi, & quartidecimi anni debet dari Viaticum, sicut datur Extrema Unctio.

2926 Item possunt, imo debent communicari pueri novem, aut decem annorum, si super mysteriis fidei, & Sacra Communione sint plene eruditi, & de reverentia debita non dubitetur: *v. num. 278.*

2927 Potest quis communicare ante peractam pœnitentiam Sacramentalem: sufficit enim, quod sit in gratia: *vid. Propos. 22. & 23.* ab Alexand. VII. *damnat.*

2928 Pollutio nocturna involuntaria per se non impedit Communionem, nec copula conjugalis nocte præcedente, nisi reliquerit mentem perturbatam, & spiritus sensuales valde commotos, quo etiam præcipio, consultus est Communionem differre.

Copula vero fornicaria impedit, nisi aliud necessitas, aut rationabilis causa poscat; ut si Sacerdos sit obligatus ad celebrandum, aut sit jubilæus lucrandus, &c. & licet post patratum grave peccatum, debeat quis eo die a Communione abstinere, ut alio die cum majori reverentia, & decentia accedat; si tamen positus in gratia per Confessionem eodem die communicet, non peccat mortaliter.

2929 *Quantum ad effectum.* Sacramentum Eucharistiæ, 1. Dat per se augmentum gratiæ; per accidens vero aliquando dat primam gratiam sanctificantem, ut si quis bona fide putans se esse in gratia, in qua revera non est, accedat cum attritione ad hoc Sacramentum, recipit primam gratiam, & peccatorum remissionem. 2. Dat auxilia ad vitandum peccata, ad resistendum tentationibus, & concupiscentiam refrænat. 3. Delet venialia: *v. Propos. 56.* ab Innoc. XI. *damn. v. in tom. 3. de Sacrifi. Miss.* præsertim *a n. 279*

QUÆRES.

2930 *Parochus accessit ad communicandum infirmum, qui ei dixit se velle confiteri. Confessus est duo peccata contra legem naturæ, subdens se tantum accusare, & dolere de illis, minime de peccatis contra legem gratiæ; sed protestatus est, se non credere Sacramentis: & monitus, ut resipisceret, noluit: An Parochus debeat eum communicare?*

VIdetur, quod sic, ad vitandam infamiam apud adstantes, qui cum tenent Catholicum.

Dico, nullo pacto debere, aut posse. Primo; quia in tali casu Sacerdos non tenetur ad sigillum Sacramentale, nam illa non est confessio; non est enim accusatio in ordine ad absolutionem Sacramentalem, quia ille non credit Sacramento Pœnitentiæ, sed Confessionem assumit ut medium ad vitandam infamiam apud adstantes; secundo, quia non debet frui privilegio fori, qui forum renuat. Tertio; quia Parochus Sacramentum Eucharistiæ nedum periculo contemptus formalis exponeret, sed certo morali periculo traderet: contra autem contemptum formalem Sacramenti clamat jus Naturale, Divinum, & Canonicum, quod prævalet juri naturali famæ infirmi. Non est enim bonum, panem Angelorum dare canibus.

Quarto; quia jus, quod haberet ad famam, esset tantum jus naturale, cui prævalet jus fidei ex *tom. 2. num. 26.* Hinc Parochus teneretur eum revelare, utpote hæreticum formalem, quia jus naturale non excusat a denunciando hæreticum formalem, *tom. 2. num. 280.* Quod dico, etiam si hæresim numquam antea exteriaverit; nam externatio illa fuit facta animo hæretical, non enim erat paratus corrigi: *vid. tom. 2. num. 2824.*

Eadem ratione, si ancilla Turca fingens apud suos dominos se Christianam, accedat ad Confessarium petens absolutionem, se manifestetur, Confessarius non potest eam absolvere, nec tenetur ad Sigillum Sacramentale; quia Confessio illa non est Sacramentalis; eo maxime quia mulier illa non habet Baptismum, qui est janua omnium Sacramentorum.

Scotus *in 4. d. 9. qu. unic. litt. A. B. C.* Mastr. *in Theol. moral. disp. 12. qu. 2. art. 3.* Tamb. *tom. 2. in Meth. Comp.* Joan. la Crux, Busemb. *lib. 9. tract. 3. cap. 2. artic. 3.* Leander de *Præc. Eccl.* Clericatus *cap. 111.*

DE COMMUNIONE QUOTIDIANA

AGunt D. Bonavent. *in 4. dist. 12. qu. 2.* & Scotus *in 6. dist. 24. quæst. unic. litt. K.* Insuper adest Decretum tenoris sequentis.

DECRETUM.

SAcr. Congreg. Card. Sacr. Concil. Triden. Interpretum, de mandato Innoc. XI. circa Communionem quotidianam, & Confessionem venialium.

2931 Cum ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in Feria sexta Parasceve, simul affirmari, eamdem quotidianam Communionem præceptam esse a jure divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inoleviste, videlicet, quod aliqui non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & Domi, imo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca melusam in crumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes sæculares aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit Sacr. Congregationi Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, eadem Sacra Congregatio, prævia matura discussione super prædictis, unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens, quotidianusve Sacrosanctæ Eucharistiæ usus a Sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, numquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit; sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum ipsquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentalis Eucharistiæ perceptione communicarent. Idque non immerito, multiplices enim funt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa; quæ cum humanis oculis scrutari non possinus, nihil certe de cujusque dignitate, atque integritate, & consequemer de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest confitiui. Et propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu, Laicis negotiatoribus, & conjugatis quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi; eos serio admoneant, tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, pluriorique mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacra Communionis sumptione unica præcepti christiani aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur; sed magis, quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios, sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, rejectatur, & nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent. Si quæ vero puritate mentis enitent, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive Conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri: Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant: eamque ipsi adhibito prudentia, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia, tenentur, seque sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacr. Congreg. ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur.

2932 Porro Episcopi, & Parochi, seu Confessarii, redarguant afferentes Communionem quotidianam esse de jure divino: doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pontificis, de manu Sacerdotis sumendam SS. Eucharistiam: nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Rituali Romani: Si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti.

2933 Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parasceve, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur.

2934 Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed confuetas.

2935 Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.

2936 Si Parochi, & Confessarii etiam Regulares, aut

aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, etiam Deo Optim. Maxim. rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum fidem, &c.

Datum Romæ 12. Februarii 1679.

E. CARD. COLUMNA PRÆF.

S. Archiepisc. Brancacc. Episc. Viterb. Secr.

Die 5. mensis Februarii 1679. præd. Decret. affixum, & publicatum fuit, &c.

DE IV. & V. PRÆCEPTO ECCLESIÆ.

Non celebrare nuptias tempore prohib. Solvere decimas.

2937 NUptiæ, seu matrimonia, ex Trident. *sess. 24. cap.* 10. prohibentur fieri *ab Adventu usque ad Epiphaniam, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive.* Dictis autem temporibus solum prohibentur solemnitates nuptiarum, adeoque possunt in illis sponsalia, ac matrimonia sine solemnitate celebrari, non tamen sine licentia Ordinarii. Item possunt in illis matrimonia antea contracta consummari; solum namque est prohibita solemnitas, & publica benedictio in Ecclesia, Mastr. *disput. 20. quæst. 6. n. 89.* Bonacin. & alii, Clericatus *cap. 112.*

DECIMA

2938 *Est quota bonorum debita Ministris Ecclesiæ in ipsorum subsidium, & sustentationem.*

Solutio decimarum est facienda ex fructibus omnium rerum, juxta locorum consuetudinem, quæ solet esse diversa. Obligat sub mortali, & ad restitutionem, nisi imporentia excuset, quis fit ob Ministrorum Ecclesiæ laborem ad fidelium utilitatem applicatorum, atque in recognitionem supremi dominii Dei.

2939 Non solvere decimas proprie non est sacrilegium, quia non est violatio rei sacræ; nam decima est usus rei temporalis ex justitia debitæ; contrahit tamen ultra malitiam injustitiæ, malitiam irreligiositatis, seu irreverentiæ contra Deum; quia, ut advertit D. Thom. 2. 2. *qu.* 87. solutio decimarum est præcepta & fit ob duos titulos, nimirum in sustentationem ministrorum Ecclesiæ, & in recognitionem supremi dominii Dei: ac proinde qui eas non solvit, duas malitias contrahit, injustitiæ contra justitiam commutativam, & irreligiositatis contra Religionem. Mastrius *disp.* 12. *qu.* 2. *art.* 4. Leander *de Præc. Eccles. tract.* 6. Clericatus *cap.* 113.

PARS

PARS QUARTA.

De Sacramentis.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

SACRAMENTUM.

2940 EX Divo Augustino: *Est signum rei sacræ, seu forma visibilis invisibilis gratiæ;* sed magis complete definitur a Scoto: *Est signum sensibile gratiam Dei vel effectum ejus gratuitum, ex institutione divina, efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.*

2941 Dicitur, *gratiam, vel effectum ejus gratuitum;* ob Sacramentum Eucharistiæ, quod ob prolationem formæ supra materiam panis, & vini, non causat gratiam inhærentem, sed effectum gratuitum, nempe gratiam per se subsistentem, qui est ipse Christus sub speciebus panis, & vini; gratia vero inhærens non causatur, nisi postea, quando effectus gratuitus, videlicet Christus sub speciebus recipitur: *v. n.* 2950.

2942 Dicitur, *ex institutione divina*, quia Sacramenta novæ legis non causant gratiam ex opere operantis, sed ex opere operato, idque ex institutione Christi; ad differentiam Sacramentorum veteris legis, quæ non causabant gratiam, nisi ex opere operantis, nempe ex dispositione operantis per contritionem; & solum ex se causabant quamdam sanctitatem legalem externam, nempe idoneitatem ad hoc, vel illud faciendum, sine qua reputabantur immundi; figurativam tamen nostræ veræ sanctitatis, & gratiæ: excepta Circumcissione, quæ non causabat gratiam, & delebat originale peccatum ex vi, & efficacia sua, sed intuitu professionis fidei, & Christi venturi: per quod Circumcisio differt a Sacramentis novæ legis; quia hæc causant gratiam independenter ab omni figura, nec ex merito, aut dispositione operantis, sed ex vi, & efficacia propria, & ex meritis exhibitis passionis Christi.

2943 Sacramentalia *sunt cæremoniæ quædam ab Ecclesia institutæ ad ordinatum, & solemnem ritum Sacramentorum*. Talia sunt, *Oratio Dominica, aspersio aquæ benedictæ, largitio eleemosynæ, benedictio Episcopi, &c.* Hæc a Sacramentis differunt, quia venialia remittunt non ex natura sua, & ex opere operato, quia pro illis nullibi constat de institutione Christi; sed ex opere operantis, quatenus ex impetratione Ecclesiæ excitant in nobis motum internum virtutis pœnitentiæ venialium; qui motus internus sufficit, quod sit pœnitentia formalis, vel virtualis, vel quia referat usum sacramentalium ad talem finem, ita Scotus *in 4. dist. 21. q. 1. litt. E.* Quique effectus non est infallibilis, quia non est fundatus in aliqua promissione, sed impetratione quantarumcumque pluribus orationibus & cæremoniis utitur in benedictione aquæ, &c. ita Mastrius.

2944 Et quamvis martyrium conferat primam gratiam ex opere operato ex promissione Christi: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: item; *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*: non est tamen Sacramentum; quia non est a Deo institutum in signum commune gratiæ, nec est actio quædam sacra ad Deicultum ordinata; sed passio, quæ ex speciali privilegio Christi habet gratiam conferre patienti.

2945 Institutor igitur Sacramentorum est Christus, ut Deus tamquam causa principalis, ut homo tamquam instrumentalis, seu ministerialis; quia sicut Deus solus ut causa principalis potest producere gratiam; ita solus Deus potest signum instituere, quod illam significet.

2946 Dicitur, *efficaciter significans*, quia Sacramentum non est signum speculativum significans id, quod causatum supponitur, ut fumus significat ignem, sed signum practicum efficax, quatenus efficaciter causat gratiam, quam significat, si non ponatur obex ex parte recipientis. Causat autem gratiam, vel physice, ut vult D.Th. vel moraliter, ut docet Scotus, de quo Scholastici.

DE MATERIA, FORMA, ET INTENTIONE.

2947 SAcramenta sunt quædam composita moralia, ac proinde ad similitudinem compositi physici, constant rebus tamquam materia, & verbis, aut aliquo illis æquivalente, tamquam forma; insuper intentione ministri. Res dicuntur materia; quia sunt indifferentes, & passive se habent ad hoc, vel illud significandum; verba dicuntur forma, quia res ad hoc significandum determinant, sic in Baptismo aqua, quæ est indifferens ad hæc, vel illam ablutionem significandam, est materia; verba autem: *Ego te baptizo*, eam determinant ad significandam ablutionem spiritualem.

2948 Materia & forma sunt partes essentiales Sacramenti; intentio vero Ministri est conditio sine qua non, ita ut sine ea Sacramentum sit invalidum, quia Sacramentum debet exerceri modo humano, adeoque debet esse volitum. Intentio Ministri debet esse actualis, aut virtualis, quam vide in 3. *tom. n.* 207. *& seq.*

2949 In recipiente adulto requiritur intentio, quæ sufficit, quod sit habitualis: non sic in Ministro; quia plus requiritur ad agendum, quam ad recipiendum; unde in recipiente sufficit, ut aliquando intenderit, & numquam revocaverit, seu ut non intelligatur repugnare Sacramento, quod recipit. Mastrius cum aliis: *v. Propos.* 28. *ab Alex. VIII. damn.*

2950 Materiæ & formæ Sacramentorum fuerunt omnes a Christo institutæ, sed non singulæ in particulari, & in specie; aliquæ namque fuerunt a Christo institutæ in genere determinandæ in particulari, & in specie ab Apostolis, vel Ecclesia, quæ in particulari usurparet rem sensibilem, & verba apta ad exprimendam significationem illam, ad quam exprimendam fuerunt Sacramenta illa a Christo instituta; ita Doctores com. Mastrius *disp. 16. n.* 16. Gonet. *de Sacr. in man. tract. 2. cap. 2. & tract. 6. cap. 3.* Gobat *tom. 1. tract. 8 n. 51. v. tom. 3. n.* 166.

2951 Si circa materiam aut formam fiat mutatio substantialis, Sacramentum est invalidum, quia materia & forma fuerunt a Christo institutæ. Validum vero est, licet regulariter illicitum, si mutatio sit accidentalis. Mutatio tunc dicitur substantialis, quando secundum communem usum, & existimationem, non manet eadem res in substantia, nec eadem significatio in verbis. Hinc invalidum est Sacramentum ex defectu materiæ, si conferetur materia cruda, aut si quis baptizet aqua artificiali; quia secundum communem usum, & existimationem, nec illa est panis, sed vulgo *pasta*, nec ista est aqua elementaris; validum est, si panis sit ater, non albus, & aqua sit calida; quia est mutatio accidentalis; *v. tom. 3. n.* 166. *&* 196.

2952 Invalidum est ex parte formæ, si magna fiat verborum interruptio, ut moraliter non connectantur; vel si forma proferatur divisim a pluribus; v. g. unus dicat, *Ego te baptizo*, alius: *In Nomine Patris, &c.* quia tunc sunt duæ formæ, & sensus falsus; validum vero, si dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris, qui te creavit, &c.* quia mutatio est accidentalis; ita Mastr.

2953 Item ad valorem Sacramenti requiritur simultas,